



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Ad Vnum Corpus Redactus

Philosophiæ R. P. Francisci De Oviedo Madritani Societatis Iesv Sacræ
Theologiæ Professoris Tomus II

**Oviedo, Francisco de
Lugduni, M.DC.LI.**


Controversia XII. De libertate voluntatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95526)

æquè infertur electio: ergo omnis intentio est æquè efficax. Probo consequentiam: Efficacia intentionis consistit in connexionem ipsius cum electione executiva mediorum, quam infert, sed omnis intentio est æquè connexa cum electione: ergo omnis intentio est æquè efficax.

8 Placet asserere non obstanti ratione suprà facta, esse unam intentionem efficaciorē alia. Pro hac conclusione suppono, quod negabit nullus, voluntatem per diuersos actus circa idem obiectum amatum posse tenacius, & minus tenaciter obiectum prosequi. Rem explico: Certum est aliquando voluntatem ita amare obiectum, verbi gratia, sanitatem, vt si illi proponatur tanquam medium necessarium scissio brachij ab illius amore non desistet, sed parietur abscindi, & ipsam abscissionem positiuè per electionem amabit ad finem propositum consequendum. Certum etiam est, aliquando voluntatem eandem efficaciter sanitatem amare, tali amore, seu intentione, vt si illi proponatur tanquam medium necessarium ad illam acquirendam, eadem brachij abscissio, statim voluntas ab illa intentione deficiet, & consentiet intellectui dicenti, non est tanti pretij digna dolore salus. Ex his intentionibus assero illam esse efficaciorē, quæ non deficit obiecto medio efficaci necessario ex suppositione, quod perseueret, eligendo, quam illam, quæ obiecto eodem medio deficit, & à qua cadit voluntas, ne eidem insitens teneatur assumere electionem medijs adeo duri, atque difficilis. Conclusionem sic explicatam probo: Illa intentio est efficacior, quæ infallibilis infert effectum: sed intentio, quæ non deficit obiecto medio difficili infallibilis infert effectum, quam illa, quæ deficit eodem medio ablato, quia in eadem rerum persistit perseuerat, & infert effectum, in qua alia deficit, & effectum non infert: ergo est efficacior intentio. Confirmatur: illa est virtus efficacior, quæ contrario resistit, vt suum effectum producat, quam illa, quæ ab eodem contrario interimitur, & remanet sine effectu: ergo intentio erit efficacior, quæ proposito difficili medio, persistit, & effectum consequitur, quam illa, quæ eodem obiecto medio deficit, & non remanet cum effectu, neque adhuc sine illo: ergo inter intentiones efficaces datæ intentio intentione efficacior.

9 Ad rationem dubitandi suprà propositam facilis est solutio. Respondeo omnem intentionem æquè coniungi cum effectu, ex suppositione, quod perseueret, quia sine illo perseuerare nequit, non tamē omnes æquè perseuerare cognita medijs difficultate: efficacia autem sumitur ex coniunctione intentionis cum electione, & firmitate ipsius intentionis, seu propositi, quapropter quod firmiter fuerit intentio, quæ existere non potest sine electione efficacior erit. Ad formam argumenti, Respond. omnis intentio efficax æquè coniungitur cum effectu, distingo antecedēs: supposita productione & perseuerantia intentionis cum præuisione medijs, concedo maiorem: supposita tantum intentione, sine perseuerantia cum præuisione medijs, nego maiorem: sed efficacia consistit in connexionem intentionis cum electione, distingo id, quod essentialiter requiritur, vt intentio sit efficax consistit in hac connexionem tantum, concedo maiorem: id, quo intentio dicitur efficacior, & efficacior consistit in connexionem intentionis cum electione, quæ tantum sit ex suppositione perseuerantia intentionis cum præuisione medijs difficilis nego maiorem: in connexionem, quam habeat intentio cum electione, ante præuisionem difficilis medijs, & independentem à tali præuisione, quoad esse intentionis, & connexionis ipsius cum electione, concedo maiorem. Deinde nego consequentiam.



CONTROVERSIA XII.

De libertate voluntatis.

8 **R**OPRISSIMA affectio actuum voluntatis est libertas, maximeque huius potentia perfectio: quapropter postquam egimus de voluntate, & de actibus illius, disputationem de libertate insti tuimus.

PUNCTUM PRIMUM.

Statuitur libertas voluntatis.

1 **M**aximam rationalis substantia perfectionem, in libertate Philosophi atque Theologi sitam esse agnoscunt, quam nullus negat, præter stolidos quosdam hæreticos, qui idipsum, quod verbis negant, rationibus, atque operationibus probant. Hi fuere, teste August. lib. 5. de ciuit. Dei c. 1. & lib. 4. Confessionum cap. 3. antiqui quidam Philosophi, quos postea sequuti sunt Simon Magus, Bardanes, Priscillianus, vt constat ex Aug. lib. de hæresibus c. 35. 46. & 70. ex Clem. lib. 3. Recognitionum, & ex Bellarmino libr. 3. de grat. & libero arbitrio.

2 Communis Philosophorum consensus homini libertatem assignat, ita Aristoteles cum suis, vt constat ex lib. 9. metaph. cap. 2. & 3. Ethicorum, à principio libertatem hanc statuit tanquam fundamentum totius moralis doctrinae. Eandem libertatem concedit Plato lib. vltimo de Republica, & Stoici à necessitate fati, quam aliis rebus tribuebant voluntates humanas excipiebant, vt refert August. lib. 5. de ciuit. Dei cap. 10. Cicero lib. de diuinit. & natura Deorum, vt hanc libertatem concederet, Dei præsentiam negauit, de quo Augustinus modò relatus dicebat: *ut homines faceret liberos, fecit sacrilegos*. Libertatem hanc acerrimè propugnant omnes Patres, inter quos omnium primus Augustinus tom. 1. tribus lib. de libero arbitrio, & tom. 7. vbi acerrimè egit contra Pelagium, & efficaciam gratia cum libero arbitrio composuit, cuius in hac re tanta est auctoritas, vt nullus possit in illa ab Augustino dissentire, qui manifestè Conciliorum definitionibus, præcipuè Arausiaci non aduersetur. Plures Patres pro hac veritate citatos reperies apud Bellarminum suprà, modò nobis dicere sufficiat illam tanquam certam fide sancta omnes Catholicos amplecti.

3 Persuadetur veritas illa ex communi hominum operandi ratione, si enim hominibus libertas non inesset, ad quid consilium & deliberatio de re agenda, vel non agenda? Quorsum leges, & exhortationes? cur frustra obsequia hominibus exhiberemus? si enim illorum operationes liberae non essent, sed ferino modo in obiecta ferrentur, hæc omnia essent inutilia, sicut quis frustra mihi persuadere conaretur, & inutiliter à me postularer vt mea statueram cubitum vnum adicerem, quod mea libertati non subest, ac proinde impertinens est huius accrementi cogitatio ad illud obtinendum; sic de omnibus aliis dicendum esset, si omnia non ingenua libertate, sed misera necessitate contingerent.

4 Diceret amens aliquis has exhortationes, preces, atque consilia ablata libertate non inutiles fore, quia ferunt vt hominem necessariò moueant ad opus exhibendum, quod illis deficientibus non præstaret, quia deficeret id, quo necessitudo cogitur opus tale exercere, sicuti contingit in brutis, quibus non inutiles sunt inflatae preces, & illatae blanditiæ vt moueantur ad onera portanda, aliæque exhibenda quæ absque illa indifferentia operantur. Quod si quaras, ex quo principio oriuntur exhortationes, seu preces, quæ potuerunt non esse, dicent procedere necessariò ex alia apprehensione, & si hæc non sit prima, ex alia, quovisque deueniatur ad aliquam quæ misera calamitate, & fato inuitabili contigit.

5 Effugium hoc, quod non nisi proteruis pertinaxque hæreticus tentabit, experientia præcluditur, quia notum est, eadem cogitationum serie constitutos posse idem obiectum amplecti & non amplecti, quod ipsi hæretici fatentur, dum iniurias sibi illatas vindicare procurant, & grauius ferunt sibi malum ali quod ab aliis hominibus infligi, & illos increpant & reprehendunt, qui suos errores non amplectuntur, & suis legibus non obediunt, quæ omnia irrationabiliter fierent, si libertas hominibus non esset: immeritò enim quis irascitur cum homine infligente alapam quam non potuit non infligere, vel occidente filium, vel parentem, in cuius mortem perpetranda necessariò fuit adductus.

6 Vltimò, libertas voluntatis à priori probatur ex modo, quo intellectus obiecta proponit: Intellectus proponit obiecta cū indifferentia vt amentur, & odio habeantur, cum aliqua ratione boni, quam potest actu prosequutionis voluntas amplecti, & cum rationem ali, quam potest voluntas actu

actum fugere detestari: ergo ex vi obiecti propositi cum indifferentia ut ametur & odio habeatur, voluntas manet indifferens ad amandum, & non amandum, & odio habendum, quia motum illud, quod potest mouere ad odium, potest mouere ad omissionem amoris, & quod inclinat ad amorem, potest voluntatem mouere ad odij omissionem. Probat hæc ratio omnem substantiam rationalem esse liberam, quod fatentur omnes Catholici: ego vero in præsentiarum agam de libertate hominis, illa enim quæ spectant ad libertatem Dei, tractant Theologi i. p. q. 19. & ad libertatem Angelorum eadem prima parte.

PUNCTUM II.

Quid sit potentia libera.

- 1 **P**otentia libera ab omnibus definitur: quæ postis omnibus requisitis ad operandum potest operari, & non operari: in qua definitione duo requiruntur, scilicet quod postis requisitis ad operandum, potentia interna vi valeat in actum prorumpere, & quod eadem vi valeat se continere, & non in actum erumpere; quæ duo ex parte actus secundi distinguuntur tanquam positium & negatiuum; ex parte vero actus primi, utrumque importat potentiam actiuam, quæ requiritur ut principium illud, quod potest operari permanens cum eadem potentia possit non operari, quod illi conuenire nequit, si non habeat omnia requisita ex parte actus primi ad operationem, quia voluntas, quæ non habet cogitationem aliquam circa obiectum non dicitur posse illud non amare, sed non posse amare; & negatio amoris non illi tribuitur potentia, sed impotentia, sicuti tribuitur lapidi, quem non dicimus posse non amare, sed non posse amare. Rationem huius rei dedi Contr. 9. Punct. 1. ubi probavi omissionem tantum quatenus liberam dependere à potentia, unde si ipsa libera non sit, non potest à voluntate dependere. Ex quo manifestè inferitur dependentiam omissionis à voluntate includere libertatem ad actum positium, quia eadem est libertas ad omissionem & ad actum positium.
- 2 Hæc definitio apprime libertatem creatam explicat, non tamen potest conuenire libertati increatæ Dei, si verbum illud operari actionem significet, quia volitio Dei non est actio, ac proinde etiam Deus postis omnibus requisitis indifferens sit ad amandum, & non amandum; non tamen ad aliquam actionem immanentem, quia amor in Deo non est actio physica, poterit tamen illa definitio Deo conuenire, si nomen operationis late sumatur pro volitione, siue identificata cum ipsa substantia, quæ dicitur volens, siue cum actione distincta à potentia, seu substantia volente. Quomodo autem possit esse substantia Dei indifferens ad amandum, & non amandum cum illius amor ab ipsius substantia non distinguatur, est omnium maxima difficultas, quas tota Theologia complectitur, quam modo dissoluere alienum est ab hoc opere, in quo de libertate humana tantum disputationem institui, quæ per ordinem ad operationem, quæ proprie actio est, rectè definitur, quia omnis volitio creata necessario actionem importat vel tanquam rationem formalem constituentem ipsum amorem, vel tanquam causalitatem, media qua, ratio illa, in qua consistit formaliter amor à voluntate efficienter dependet.
- 3 Dupliciter potest aliquid ad actionem requiri, primo ut prærequisitum, & tenens se ex parte actus primi ad ipsam actionem, seu actum secundum. Secundò, tanquam quid comitans, & imbitum, seu identificatum cum ipso actu secundo, seu cum actione, eo modo, quo dicere solemus, requiri differentiam rationalem ad constituendum hominem. Quæ hoc modo requiri dicuntur, proprie non requiruntur, nihil enim ad se ipsum requiritur, ac proinde non de his intelligenda est definitio, nam hæc non possunt esse indifferentia ad operationem, & ad negationem operationis: sicut enim operatio non potest esse indifferens ad se ipsam & ad sui negationem, neque non ad se ipsam determinata, ita illa quæ per identitatem ipsam actionem comitantur non possunt esse ad illam indifferentia, neque non ad eandem determinata. Intelligenda est definitio de his quæ actionem præcedunt, & se habent per modum actus primi ad illam tanquam ad actum secundum.
- 4 Hæc est omnium Philosophorum mens, qui vno ore definitionem adductam proferunt, scilicet: *Potentia libera*

est quæ postis omnibus requisitis ad operandum, potest operari & non operari, quia tamen res est magni momenti volo illam Doctorum auctoritate comprobare. Aristot. 2. Metaph. c. 1. his verbis potentiam necessariam explicuit, *Huiusmodi potentis necesse est ut cum quæ adposuit actiuam, & passiuam approximent.* En definit potentias necessarias Aristoteles per necessitatem agendi; id quod possunt postis ad operandum requisitis. Neque dicit potentias necessarias necessitate operari posita tantum virtute operatiua sine aliis requisitis, quia hoc falsum esset, ignis enim sine approximatione non calefacit, sed omnia requisita ad operationem assignauit ut operatio esset necessaria, & potentiam necessariam induceret, quod sibi volunt verba illa *actiuam & passiuam approximent.*

Eam definitionem tradit Nemesius lib. de natura hominis & animæ facultatibus, c. 35. à medio, ubi refert Chrysippum & alios Philosophos pro eadem sententia. Eandem sententiam tenent Thomistæ, sic enim Capreolus in 1. distinct. 6. quæst. vnica, art. 3. ad arg. Scoti contra 4. conclus. agens necessarium & liberum definitur: *illud dicitur agens naturale, quod postis omnibus requisitis ad agendum, & nullo posito impedimento quin ipsum possit agere, necessario agit.* Illud vero agens dicitur liberum, quod eodem modo postis omnibus requisitis ita ut possit agere non necessario agit, sed in potestate eius est ut agat, & non agat. Dominicus Sotus nobilissimus Dominicanus lib. de natura & gratia cap. 6. eodem modo principium liberum definitur, & ne aliquis existimaret deficere definitionem ex necessitate concursus Dei, addit adhuc illo posito, voluntatem esse indifferentem ad actum & ad negationem illius, quod intelligendum est de concursu in actu primo, voluntatem esse indifferens ad actum & ad negationem illius, quod intelligendum est de concursu in actu secundo, quia hic non distinguitur ab ipso actu voluntatis, qui semel positus non potest non poni. Qui plurimos alios ex antiquis & recentioribus, qui definitionem liberi principij sic tradunt, videre voluerit, adeat P. Didac. Ruiz disp. 50. de scientia, sect. 4. ubi ad satisfactionem illos citatos reperiet.

Ratione naturæ lumine omnibus nota eadem libertatis definitio comprobatur: libertas dicit indifferentiam ad faciendum, & non faciendum, posse facere & non facere, si enim miserè ad alteram contradictionis partem sum adductus, ita ut non possim me ad aliam conuertere; quam indifferentiam habere poterò? vel quæ extrema hæc indifferentia respiciet? vel cur ignis ex natura sua determinatus ad calorem producendum non dicitur indifferens ad illius productionem? Hanc indifferentiam esse debere suppositis omnibus requisitis ad agendum, clariùs patet, quia antequam sint requisita ex parte actus primi ad actionem, actio esse nequit: ergo tunc non est indifferentia ad actionem. Deinde agens liberum, & necessarium distinguuntur ex eo quod hoc sit determinatum ad agendum; illud verò indifferens: sed agens liberum non est sufficiens, neque necessarium ad æquatè determinatum ad agendum quousque habeat omnia requisita ad agendum, & antequam hæc adsint, discerni nequit differentia inter agens liberum & necessarium, quia utrumque conuenit in hoc quod est liberum esse indifferens ad agendum & non agendum suppositis omnibus requisitis, & necessarium his suppositis nullam indifferentiam habere.

Dices, posse differre agens liberum, & necessarium, ex eo quod necessarium quando est sine omnibus requisitis ad agendum exigit illud, quo indiget ad agendum, quod sine aliqua violentia negari nequit, ac proinde tunc exigit operari, quia exigit omnia requisita ad operationem, quibus est annexa operatio. Agens verò liberum quando est sine requisitis ad operandum non exigit illa, ac proinde etiam si his sit connexa operatio non exigit operationem.

Nonnulla dubia, alia falsa, & nihil ad rem continet hæc solutio. Do agens necessarium exigere omnia requisita ad operandum antequam illa habeat & illa non exigere agens liberum, quod verum non est, quia ignis etiam si exigeret applicationem ad aliquod passum, non illam exigeret ad omnia, quibus de facto applicatur, ac proinde respectu calefactionum circa obiecta, quorum applicationem non exigebat eandem habere indifferentiam, quam habet voluntas. Deinde hæc saltem ordine ad aliquos actus exigit omnia requisita ad illos, quia petit esse proximè potens operari: ergo æquè exigit causam

causa libera, & causa necessaria, requisita ad agendum: ergo ex hoc capite non differunt

9 Sed demus aduersariis hanc differentiam, penè illam non potest voluntas libera constitui, neque habere dominium in hoc, quod est non exigere requisita ad operandum, quia hoc non est aliquid agere, & conuenit illi necessarid per suam entitatem, non illud exercet in acquisitione illorum quæ requiruntur ad operandum, quia absque vlla libertate illius illi contingunt, & liberaliter à Deo conferuntur respectu bonorum actuum, & respectu aliorum ex concursu naturalium causarum propositione obiectorum, & Dæmonis suggestionem contingunt: ergo si iam suppositis requisitis ad agendum non habeat aliquid dominium suarum actionum causa libera, quo careat necessaria, non possunt differre, nec vna libera, & alia necessaria dici poterit.

10 Neque ad libertatem sufficit indifferentia rationis scilicet iudicij, quo obiectum indifferenter repræsentetur, si aliunde voluntas determinatur ab alio principio ad aliquem actum circa obiectum indifferenter positum, quia si posito iudicio indifferenti Deus decernat independentem à libertate voluntatis concurrere ad aliquem actum voluntas non poterit non concurrere, neque absolute indifferenciam habebit, aliis posita vnione hypotatica posset natura libera manere ad actus prauos. Dicunt cum vnione hypotatica non componi iudicium practicum indifferens ad mendacium. Contrà ideo cum vnione hypotatica non componitur iudicium indifferens ad mendacium, quia vnio hypotatica incompossibilis est cum mendacio: ergo cum principio determinato ad amorem non est composibilis negatio amoris, neque actus odij: ergo cum hoc principio composibile non est iudicium indifferens ad odium, neque ad negationem amoris. Vtgeoposita indifferentia ex parte intellectus, si Deus decernat non concurrere cum voluntate ad amandum, nullam libertatem habebit ad amorem, vt per se notum est, implicat enim actus amoris Deo non concurrente, & voluntas nequit esse libera ad actum pro illo statu, in quo implicat. Ex hoc infero posito decreto Dei concurrendi independentem à voluntate ad actum amoris voluntatem non esse liberam ad odium, quia posito hoc decreto determinato ad amorem, non potest Deus habere decretum adhuc indifferens ad odium, quia non possunt componi adhuc per diuinam potentiam decretum determinatum Dei ad amorem, & decretum indifferens ad odium, determinatio enim ad vnā partem tollit indifferentiam ad oppositam, infero similiter non posse voluntatem esse liberam ad negationem amoris, posito decreto Dei ad amorem, quia sicut esse nequit amor cum negatione decreti concurrendi ad amorem, ita non potest esse negatio amoris cum positione decreti concurrendi ad amorem: ergo sicut negatio decreti ad amorem, seu decretum non concurrendi ad amorem destruit libertatem amoris, ita decretum determinatum ad amorem independens à voluntate destruit libertatem ad negationem amoris.

11 Confirmatur: Hæretici huius temporis, qui voluntati libertatem negant, illi concedunt iudicium indifferens, & dicunt ita per motionem Dei determinari vt necessarid & absque vlla libertate consentiat, quod si vera esset expositio adducta, hæretici in re libertatem concederent, licet verbis illam negarent, & eorum loquutio, & non sententia damnaretur à Patribus, vt in simili fecit Augustinus lib. 5. de ciuit. cap. 1. vbi contra eos qui factum inducebant sic habet: *Quæ si propterea quispiam falso tribuit, quia ipsam Dei voluntatem vel potestatem fieri nomine appellat sententiam teneat, linguam corrigat: ergo simili modo Concilium Tridentinum contra modum loquendi Caluini, & aliorum hæreticorum, deberet agere, non contra illorum sententiam, quia si in re libertas nihil aliud esset quam iudicium indifferens & omnis actus qui à voluntate tali iudicio præuenta procederet, liber euade et, etiā si aliunde antecedenter esset determinatus, hæretici, qui dicebant actus nostros provenire à iudicio indifferenti, etiam si dicerent esse necessarios, quia motione Dei erant prædeterminati libertatem in re secundum hunc dicendi modum concedebant, quia indifferentiam ex parte obiecti admittebant, & licet nomen definiti negabant, rei definitionem concedebant iuxta sententiam horum dictorum eodem modo, ac si dicerent Christum esse animal rationale, & non esse hominem, ideoque ad meliorem loquendi*

Francisc. de Oniedo, Philosoph. Tom. II.

modum trahendi essent in eadem sententia perseverantes.

12 Hæreticos concedere indifferentiam ex parte obiecti, hoc est, iudicium indifferens, probatur; quia Lutherus, Calvinus, Melancthon, & Kemnitius, vt probent hominem scire bonum, & velle, sed explere non posse, ideoque necessarid peccare adducunt pro se testimonia ad Romanos 7. quibus Paulus expressè tradit cognitionem, & volitionem boni, scilicet illud: *Peccatum non cognoui, nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces.* Et rursum: *Scio quia lex spiritualis est: ego autem carnalis sum venundatus sub peccato.* Et iterum: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ: Insuper: velle mihi adiacere, perficere non inuenio.* Ex quibus testimoniis pessimè inferunt impossibilitatem vitandi peccata, rectè tamen fatentur, cognitionem boni & mali. Legantur quæ refert Belarminus toto lib. 5. de amissione gratiæ, & statu peccati, præsertim cap. 4. notenturque obiectiones hæreticorum, quas refert cap. 10. 11. & 12.

13 Do hæreticos non concedere iudicium indifferens, & probo auctoritate Patrum hoc non sufficere ad indifferentiam constituendam. Sancti Patres, qui toti in concilianda efficacia gratiæ, & infallibilitate prædeterminationis cum libero arbitrio, nunquam probarunt hoc illesum permanere supposita prædeterminatione, & efficacia gratiæ, quia manebat iudicium indifferens proponens voluntati bonum, & malum: ergo sensere hoc iudicium non sufficere ad libertatem constituendam, si aliunde voluntas aliquo præueniebatur ex se necessario actum inferente, si enim iudicium indifferens ita voluntatem liberam constitueret, vt illo permanente non posset voluntas non liberè operati quantumvis aliunde determinata, quorsum tam prolixa disputatio de concordia gratiæ, & diuinæ prædeterminationis cum libero arbitrio constitueretur à Patribus, qui posset per simplicem iudicij indifferents propositionem rem totam dirimere,

14 Ex his facilius refutabitur modus alius dicendi, voluntatem ex natura indeterminata esse liberam, & ita liberum esse quicquid ab illa oritur, quod absurdissimum est, alias omnes actus, quos primò primos vocamus à voluntate provenientes liberi essent, & peccaminosi, si obiecta turpia haberent, quod falsum est. Deinde inter gratiam præuenientem, quam Deus in nobis operatur, annumerant Theologi motum voluntatis, qui à nostra libertate nequit dependere, absurdissimum enim esset asserere gratiam præuenientem à nostra libertate procedere.

PUNCTUM III.

Per ordinem ad quam potentiam definiatur libertas.

1 Definitor libertas creata per ordinem ad potentiam & internam vim, quæ potentia debet esse actiua; non enim per ordinem ad passionem rectè definitur libertas, neque principium purè passiuum liberum esse potest. Hæc conclusio est communis inter Scholasticos, & illam tradunt Soar. tom. 2. Metaph. disp. 19. sect. 2. n. 21. & Hurtad. disp. 15. sect. 1. Probat Soar. in hunc modum. Passio vt passio non potest esse libera patienti, sed tantum quatenus est actio, & dicit ordinem ad agens vt agens est: ergo libertas non per ordinem ad potentiam passiuam, sed per respectum ad actiuam sumenda est. Antecedens probat, quia actio si sit circa subiectum de quo modò est sermo, necessarid inferat passionem, & passio non inferat actionem, neque esse potest nisi quatenus per actionem inferatur: ergo tota libertas consistit formaliter in actione, & nequit consistere in passione: ergo libertas per ordinem ad potentiam actiuam definienda est, & per ordinem ad passiuam nequit explicari.

2 Hæc ratio forsitan quidquid rei inuoluit, nihilominus, vt iacet, firma non apparet, totū enim illius robor situm est in eo, quod actio inferat passionem, & non inferatur ex illa, & è contra, quod passio non inferat actionem, sed ex illa inferatur, quod facile quisque negabit, cum actio circa subiectum, de qua agit Soar. identificetur cum passione & inter ea, quæ omnino sunt idem, non potest esse illatio realis, neque vnū ab alio procedere cum non sit vnū neque aliud. Secundo, actionem eductiuā adhuc formaliter multi à passione non distinguunt: ergo adhuc per intellectū dici nequit passionem inferri ex actione eductiua, & non è contra.

P

Tandem

Tandem differentia inter actionem, & passionem non sumitur præcisè ex entitate actionis, & passionis, quæ est una infectilis, sed ex extremo seu principio connotato, per ordinem enim ad principium effectiui entitas, quæ in se est actio, & passio denominatur formaliter, & eadem per ordinem ad principium passionum passio dicitur: ergo differentia influendi inter efficiens & passium non sumenda est ex entitate influxus, seu actus secundi secundum se, sed etiam ex eiusdem principiis: ergo non probandum est efficiens esse liberum, & non passum præcisè ex actu secundo, sed ex isto, & ex diuersitate principiorum in actu primo.

3 Eandem conclusionem probat Hurtad. quia passum ita patitur ut si agens velit operari, non possit non pati, & si agens non velit operari, non possit pati: ergo tota indifferentia consistit in actione, & non in passione. Quod si passum possit resistere actioni, hæc resistentia fiet medio aliquo superaddito, respectu cuius habebit rationem agentis: si verò resistentia exhibeat passum per suam entitatem, non poterit illam non exhibere, ac proinde non erit libera. Non nimis premit hæc ratio, vix enim aliquid ultra conclusionem continet, & ad quæ responderet, qui oppositâ defendendam susceperet negando antecedens vniuersaliter de omni passio prolato, & asserendo posse dari passum, quod cum vellet pateretur, & non pateretur, & per passionem liberè suam indifferentiâ determinaretur ad patiendum & non patiendum.

4 Probanda est conclusio ex Trid. sess. 6. can. 4. ubi definitur, nostrum liberū arbitrium non se habere ut inanime instrumentum merè passiuè in actibus supernaturalibus, quod infert Concilium ex eo quod liberè ad illos concurrat: ergo sentit Conc. libertatem non posse in passione consisti. Vm huius illationis agnouit Arriaga disp. 8. sect. 1. non tamen conclusioni acquiescit, qui putat difficile ratione illius inueniri & oppositam efficaciter probari, quapropter asserit duplicem passionem posse reperiri ex parte subiecti vna quæ communiter assignatur in materia respectu formarum materialium, quæ causalitas dicitur, media qua materia causat formas in genere causæ materialis. Aliâ verò reperiri, quæ constituitur in materia ab aliquibus negantibus materiam esse veram causam respectu formarum, quam opinionem docuit Lessius à me relatus & impugnatus lib. 2. Physicor.

5 His positis, docet posse constitui libertatē per ordinem ad passionem, quæ verè sit causalitas respectu formæ qualis est quæ communiter ab omnibus assignatur, non verò per ordinem ad passionem, quam materia primæ tribuunt, qui illi denegant verū influxum causæ materialis, neque per ordinem ad passionem, quam illi respectu rationalis animi tribuimus, qui in nullo genere causæ ab illo dependet, quia hæc tantum passionem mediis quibus forma non dependet à subiecto tanquā à vera causa materiali improprie sunt, respectu quarum liberum arbitrium se habet velut inanime quoddam instrumentum, & de his tantum Concilium est intelligendum; non verò de passione propria, quam communiter Doctores respectu formarum materię assignant.

6 Hæc doctrina maximè mihi displicet, ægrè enim & & ni fallor, absurdè Concilium explicat, ex illa enim infertur nihil contra Concilium asserendum, qui modò defenderet animum concurrere tantum ad opera supernaturalia in genere causæ materialis per passionem, quam tota Schola cognouit, illa enim passio quæ non est causalitas, quam ex Lessio adducit Arriaga, vix lucem vidit, neque de illa mentionem hucusque Scholastici fecerunt, hoc fatetur Arriaga. Ego id sanè concedere non audeam, quia Concilium definit animum tantum passiuè, quod intelligi debet de passione, quam tota Schola talem appellat, non de illa quam vnus, vel alter denud inuenit, & tempore Concilij forsitan nullus agnouerat, quæ sanè passio non est, sicuti neque receptio animi rationalis in materia, quam absque vilo fundamento passionem appellat Arriaga, cum tantum sit informatio, seu vnio formæ ad subiectum.

Dicendum ergo est per ordinem ad passionem non posse libertatem in actu primo explicari, neque per passionem in genere causæ materialis in actu secundo constitui. Ratio est, quia causa materialis determinatur ab efficiente, & efficiens determinat materiale. Vnde determinatio numquam oritur à causa materiali, quapropter non potest illi tribui libertas in actu secundo, quæ propria est principij determinantis talem actum secundum, ac proinde neque in actu primo, quia actus primus ordinatur ad secundum.

7 Dices nullam esse rationem, propter quam dicatur causam efficientem determinare causam materiale, & ma-

terialem non determinare efficientem. Respondeo, rationem esse diuersum modum respiciendi actionem identificatam cum passione, principium effectiui, & causam materiale: illud enim respicit tanquam id, à quo exit, & hanc tanquam id, in quod tendit, & in quo recipitur: & sicut prius concipitur ex modo concipiendi exitum, quoniam recipi seu peruenire ad id in quod tenditur, ita prius concipitur agens determinare materiā, quā materia determinat actus, quatenus præcendit exitum ab agenti, & accessum ad terminum aliquid importat ex parte obiecti, ratione cuius eadem entitas, quæ est actio & passio diuerso modo respiciat principium effectiui, & causam materiale.

Deinde eandem conclusionem probō à paritate aliarum potentiarum, quæ in se sunt necessariae, possunt tamen dici secundum suas operationes, liberæ libertate deriuata à voluntate, quarum nulla indiget imperio voluntatis ad causandum in genere causæ materialis, seu ad patiendum, neque secundum hanc rationem voluntati subditæ, subduntur autem plurimæ ad efficiendum, ut constat in potentia loco motiua, & productiua impulsus subiectis in homine illius imperio (nō loquor de imperio proprie dicto quod consistat in intimatione præcepti) quæ determinatur ad agendum, nulla autem potest determinari ad patiendum à voluntate, sed tantum ab agente: ergo sicut in potentia externis libertas deriuata non potest consistere in passione, sed tantum in actione, ita in volutiua potentia propria libertas in actione, & non in passione consistit.

Obicit Arriaga, Effectus dependens à causa efficiente & materialis, æquè potest impediri ex defectu causæ materialis, ac ex defectu causæ efficientis: ergo eodem modo est necessaria ad illius existentiam determinatio causæ materialis, ac efficientis: ergo sicut efficiens potest constitui libera per suam determinationem efficientiam videlicet, ita materialis per suam determinationem, nempe passionem: quia sicut efficiens est indifferens ad actionem, & negationem illius: ita potest concipi materialis indifferens ad passionem, & negationem illius: sicut enim actio dependet ab agente, ita passio à causa materiali. Respondeo ad effectum requiri determinationem omnium causarum, diuerso tamen modo, quia determinatio efficientis in causa, quæ libera dicitur, oritur ab ipso efficiente, in nulla verò causa materiali determinatio materię tribuitur ipsi materię, ac proinde nunquā potest causæ materiali tribui libertas, hæc enim est vera causalitas, saltem in sensu formali, quia principij effectiui agit, causa materialis patitur, hæc autē adhuc in sensu formali est falsa, quia principium passiuum patitur, effectiuum agit, semper enim prius concipitur agi, quā pati, & actio potest separari à passione in actione creatiua, in nulla autē passione passio potest ab actione separari.

Statuimus libertatem definiri per potentiam actiuam, 10 definiendum est modò quæ sit hæc actiua potentia, quæ formaliter libera dicitur, vel per quam homo formaliter liber constituitur. Nos qui potentias superadditas animo denegamus, non possumus potentiam hanc liberam ab ipso animo distinguere, verumtamen eadem nos vrget difficultas, ac si illas superadditas concederemus, tenemur enim assignare actus, in ordine ad quos animus potentia libera dicitur, & secundum quam rationem formalem illi conueniat ratio principij liberi, quapropter eodem modo in præsentī quæstione philosophamur, ac si potentias superadditas tribueremus animo rationali. Nullam potentiam, materiale esse formaliter liberam admittunt omnes, quia libertas est propria rationalis substantiæ illi quatenus rationali competens, cum vero potentie animi rationalis ut rationalis, spirituales sint, libertatem in potentia spirituali constituendam esse omnes Doctores, & disputant cui ex potentiis spiritualibus primò & per se conueniat libertas, in qua vix vel leue dissidium est.

Durand. in 1. dist. 24. q. 3. asseruit libertatem primariò intellectui, & voluntati competere, & principalius intellectui, quā voluntati, quia intellectus, primariò & principalius est rationalis, & libertas prædicatur rationalis, consequitur. Libertatem tantum voluntati primariò cōpetere est iam in scholis omnibus compertū, quod docuit Angel. Doct. 1. p. q. 83. art. 3. & 1. 2. q. 23. art. 1. & in 2. dist. 24. q. 1. quem sequuntur Thomistæ, Caietan. Capr. Cont. locis citatis. Idem tenet Scot. dist. 25. cum Ricard. in 2. dist. 24. & Henr. quodlib. 1. quæst. 16. quibus recentiores auctores vnanimes assentiunt. Ratio à priori est, quia intellectus

ex natura sua determinatus est ad assentiendum vero, & dissentiendum falso, neque potest vero non assentiri, neque dissentire a falso cohibere si ut alia appareant neque assentire, neque dissentire poterit: ergo intellectus nunquam est formaliter liber ad proprium actum, neque huic primario libertas competere potest. Probo consequentia, & rationem confirmo: si in aliquo casu intellectus esset liber, maxime quando obiectum non apparet evidenter verum, neque evidenter falsum, sed pro utraque parte probabiles rationes occurrunt ut intellectus ex vi harum assentiat, & ex vi illarum dissentiat: sed tunc illa indifferentia auferenda est per actum voluntatis, quo voluntas imperet assensum, potius quam dissensum: ergo neque in hoc casu libertas competit intellectui. Minorem probat manifesta experientia, quia compertum est voluntatem in his casibus intellectum in alteram partem determinare, & hac ratione ad actum fidei, cuius obiectum evidens non est, piam voluntatis affectionem Theologi requirunt & ad opinandum piam affectionem plurimum conducere dicimus.

Ratio huius à priori posita hæc est: tota obiecti indifferentia, ut possit esse actus assensus, vel dissensus circa illud, oritur ex imperfecta applicatione ipsius obiecti & ex obscuritate, qua obicitur intellectui non ut in se est, non ex ipsa obiecti natura, quæ in se & ratione sui indifferens non est, si clarè obicitur ad terminandum assensum, vel dissensum, sed necessario in determinatum actum inclinat, & ita respectu intellectus diuini, cui non potest confusè obici, nunquam potest hanc indifferentiam habere, neque intellectus diuinus aliquando indifferens est ad assentiendum, vel dissentiendum; si enim obiectum existat necessario terminat assensum intellectus, diuini, si verò non existat, ad illud dissensus diuine mentis necessario terminatur. Ex quo inferitur, non posse indifferentiam propriam, & per se in intellectu refundere, quia hæc illi non accrescit ex proprio obiecto, sed ex imperfecto modo, quo illi obicitur, & prius arguit imperfectionem intellectus, quam perfectionem aliquam: ex imperfectione verò potentie non potest libertas, quæ maxima perfectio est, illi adiungi, sed sicut tota indifferentia intellectus ad assentiendum seu non assentiendum, vel dissentiendum illi ab extrinseco contingit, ita ab extrinseco, hoc est, à potentia, cui per se indifferentia competit, scilicet voluntate determinanda est.

Confirmatur conclusio, & vergetur ratio: Obiectum voluntatis ex sua natura tale est, ut in se habeat rationes permixtas, quibus trahat ad amorem, retrahatque ab odio & quibus trahat ad odium, & retrahat ab amore, quia habet ens creatum rationem boni, & mali admixtam, & postquam voluntati per cognitionem etiam comprehensivam illi fuerit propositum, rationem motiuam inuenit in illo ad amorem, & odium, & ad utriusque actus negationem. Intellectus autem nunquam in obiecto proprio reperire potest motiuum ad assentiendum, vel dissentiendum, seu omittendum actum, ad quem habet sufficiens motiuum, quia obiectum vel existit, vel non existit: si existit, ex se necessario terminat assensum; si non existit, est determinatum ex se ad determinandum dissensum, neque aliter, nisi ex errore, aut deceptione contingere potest: ergo obiectum voluntatis ex natura sua indifferens respectu voluntatis adhuc diuine potest terminare complacentiam, vel displicentiam sui, & obiectum intellectus ex se est determinatum ad assensum, vel dissensum, & tantum illi per accidens potest conuenire indifferentia ad actus respectu intellectus creati, cui imperfectè propositum sit, & aliter ac est, non verò respectu intellectus diuini: ergo obiectum voluntatis quasi ex propriis meritis indifferentiam refundit in suam potentiam, quam illi determinandam relinquit, & obiectum intellectus hunc addit ad actum determinatum, quem per se loquendo non potest intellectus vitare, sed tantum aliquando per accidens ex imperfecta applicatione obiecti.

Confirmatur eadem conclusio. Omnis actus liber debet esse voluntarius, quia debet nasci à principio non se determinante per modum nature, sed cum indifferentia, & ab intrinseco, & sponte sua: sed tantum actus potentie est voluntarius: ergo tantum actus huius potentie est formaliter liber. Virum conclusionem hanc confirmat vox cunctorum hominum à minimo infante usque ad iam ætatis caducæ senem, & à rusticissimo baiulo usque ad peritissimum iuriconsultum, à quibus si petas cur rem hanc

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I I.

faciant, cum possent oppositum præstare, vno ore respondent omnes, quia volo: ergo sentiunt omnes libertatem, & indifferentiam primario, & per se actui voluntatis, & non alij potentie competere. Circa naturam liberæ potentie restat modò explicandum, quæ sint illa requisita: quibus positis voluntas potest operari, & non operari, seu quæ requirantur, ut voluntas hanc habeat indifferentiam, & potestatem se determinandi, quod punctis sequentibus explicabo.

PUNCTUM IV.

In quo consistat ratio formalis libertatis in actu primo, & quid sit liberum arbitrium.

Dixi potentiam volitivam esse formaliter liberam, & non aliam, & explicui rationem essentialem principij liberi, est modo examinandum: An libertas conueniat voluntati per suam entitatem, ita ut per se ipsam sit formaliter in actu primo libera, an verò aliquid superadditum voluntati importet libertas in actu primo: quæ questione explicata, alia faciliè soluetur. In quoniam consistat essentia liberi arbitrij. An dicat potentiam, vel actum, & an dicat potentiam ab intellectu, & voluntate distinctam.

Aleat. 2. q. 72. membro 2. art. 1. §. 3. docuit liberum arbitrium, esse potentiam quamdam motricem ab intellectu, & voluntate distinctam. Alij apud Soar disput. 19. sect. 5. num. 4. liberum arbitrium constituebant in quodam actu, vel habitu, vel in potentia pro ut aliquo actu affecta. Dicam quid sit, per quod voluntas in actu primo libera constituitur, & postea quid sit liberum arbitrium faciliè definiam.

Hurtadus disp. 15. sect. 3. docet, libertatem esse idem cum voluntate, cognitionemque obiecti & alia extrinseca requisita esse connotata libertatis, non tamen esse de constitutione formali illius. Dispicet mihi Hurtadi sententia, quam sic impugno: libertas in actu primo non distinguitur à voluntate: ergo non potest separari ab illa, ergo quomodocumque consideretur voluntas semper est libera & in actu primo ad liberè operandum: ergo quantumvis careat cognitione erit libera ad actum, & culpe illi dabitur omisio illius, quod absurdissimum est, quia qui inuincibiliter ignorat præceptum, non dicitur liber ad illud adimplendum, & qui non cognoscit obiecti bonitatem liber non est ad illud amandum. Respondendum est in doctrina Hurtadi voluntati tunc deficere connotata libertatis, non tamen rationem formalem illius. Mirandum sane doctrinam Hurtadi seduli connotatorum impugnatoris indigere connotatorum auxilio, cogique ex illis solutionem petere. Illa sæpe cum Hurtado impugnavi, modò contra eundem Hurtadum eadem impugno more solito. Hæc connotata vel pertinent ad rationem formalem libertatis, vel hæc adæquatè in voluntate consistit: si non pertinent, sed tota formalis ratio libertatis est adæquatè in voluntate constituta, quotiescumque subsistit voluntas subsistit tota ratio formalis constitutiva libertatis, & voluntatis liberæ: ergo permanet formaliter libera voluntas, quia posita ratione formali, & subiecto capaci non potest non poni effectus formalis præcipue si subiecto per suam entitatem conueniat.

Dicendum est libertatem in actu primo dicere entitatem potentie, quæ libera denominatur, scilicet voluntatem cum omnibus aliis positivè, & negativè prærequisitis ad actum secundum exercendum absque illa determinatione ad illum ex parte principij. Inter positivè requisita præcipue numeratur obiecti cognitio ex vi cuius voluntas possit ita tendere ad illud per hunc actum, ut possit per alium oppositum tendere in idem obiectum, vel saltem non tendere in illud. Hac ratione communis sententia libertatem formalem voluntatis constituit in duplici cognitione, quia obiectum bonum & malum repræsentatur & ex utraque parte voluntas vocata potest cui maluerit annuere, & indifferens manet ad utramque cum virtute intrinseca se determinandi. Requiritur etiam positivè ad rationem constitutivam libertatis habitus infusus, vel saltem omnipotentia parata ad supplendum illius influxum, si actus producendus sit supernaturalis, & non possit sine habitu, aut auxilio extrinseco supplere vices habitus produci à potentia naturali scilicet voluntate. Requiritur

P 2 eodem

eodem modo decretum Dei, quo decernat concurrere cum causa secunda, ex vi cuiuslibet assistat omnipotentia causa secunda, ut nunquam ex defectu cause primæ effectus deficiat. Ratio est facilis. Causa secunda non potest operari nisi adiuta à prima & effectus à causa secunda productus dependet etiam à prima liberè concurrente ad illum: ergo supponit actum diuinæ voluntatis, quo velit ad illum concurrere, quia omnis effectus liberè à Deo dependens debet supponere actum liberum Dei, neque aliā ratione potest dici liber respectu Dei, nisi quia dependet à decreto libero Dei, cum ipse per se, & formaliter non sit quo voluntas diuina libera constituitur, sicuti constituitur voluntas creata, quia huius est formalis volitio, non voluntatis diuinæ à qua dependet, non tanquam actus à potentia, sed tanquam effectus à causa. Tandem requiritur ad rationem constitutivam libertatis, quidquid ita influit in actum, ut actus esse non possit quin ab illo dependeat. Ratio est quia libertas dicit potentiam absolutè, & adequatè expeditam ad efficiendum actum, & nequit esse potentia expedita ad actum, quando non est cum omnibus necessariis ad illum ex parte antecedentis, seu actus primi requisitis, seu quando abest aliquid, sine quo effectus esse non potest.

5 Requiritur negatiuè ad libertatem negatio totius principij immediatè influentis in actum ex natura sua intrinsecè connexi cum tali actu, ita ut in sensu composito coniungi nequeat cum negatione actus. Hanc conclusionem vniuersaliter intelligo de omni principio ita connexo cum effectu, siue intrinsecè inherente voluntati, siue tantum extrinsecè sicuti decretum Dei extrinsecè assistit, & ita intellectam sic probō. Potentia libera est illa, quæ positis omnibus requisitis ad operandum potest operari, & non operari, sed posito aliquo principio necessariis connexo cum effectu non potest operari, & non operari: ergo non est libera. Minorem probō: principium illud non potest componi cum negatione operationis: ergo illo posito non potest esse negatio operationis: ergo non potest voluntas non operari, seu ab operatione desistere, quod est idem ac ponere negationem operationis. Confirmatur: tale principium inducit necessariis existentiam actus: ergo reddit impossibile negationem illius: ergo destruit indifferentiam requisitam ad actum, & ad negationem illius: ergo destruit principium liberum: ergo ut hoc subsistat requiritur negatio talis principij.

6 Respondent aliqui doctrinam hanc veram esse de principio intrinsecè inherente voluntati, non verò de principio extrinsecò ipsi voluntati, quia principium voluntatis extrinsecum intrinsecè illam eodem modo relinquit: ergo si antea erat libera, illo posito libera permanebit. Ratio à me facta eodem modo probat de principio intrinsecò, & extrinsecò, & disparitas assignata nullius est momenti, ut probabo, quapropter eidem insisto conclusioni. Disparitatem esse nullam sic probō. Voluntas eodem modo potest cogi ad actum, & negationem illius per principium extrinsecum, & intrinsecum: ergo nulla est disparitas. Antecedens probatur: Voluntas eodem modo intrinsecè existens potest esse libera, & non libera ad actum, quia si posita voluntate cum duplici cognitione circa aliquod obiectum, & omnibus ex parte voluntatis, & causæ creatæ ad actum requisitis, si Deus suam omnipotentiam applicet ad concurrendum cum voluntate, voluntas erit libera, & si omnipotentiam non applicet, sed decernat non concurrere cum voluntate antecedenter ad omnem determinationem voluntatis præuisam, voluntas non erit libera, etiam si omnia intrinsecè inherentiæ voluntati permaneant eodem modo: ergo voluntas eodem modo intrinsecè se habens potest esse libera, & non libera ex positione, vel ablatione alicuius extrinseci: ergo male infertur, manet eodem modo intrinsecè: ergo manet cum eadem libertate, cum hæc ex extrinsecò possit deficere, vel accrescere intrinsecò supposito. Deinde sequeretur ex hac doctrina Deum non posse cogere voluntatem ad eliciendum actum ad quem ex se erat indifferens sine introductione alicuius intrinseci voluntati antecedentis actum, ex vi cuius libertatem amitteret voluntas, quod falsum est, quia quocumque principio posito ex natura sua libera potest Deus ita cum illo concurrere ad actum positum ut nullo modo tale principium valeat concursum resistere, neque illum non elicere, sed necessariis illum debeat exhibere, & potest, ut supra dicebam, concursum causæ primæ denegare, ita ut vo-

luntas nullo modo possit in actum secundum proflere. Alij duplex principium distinguunt respectu eiusdem actus, aliud per se requisitum ad talem actum sine quo actus esse non potest, aliud non per se requisitum, sed ita influens in actum, ut illo non influente, actus eodem modo posset euadere: illius primi negationem ad libertatem requiritur: illius secundi, quod putant rectè posse cum libertate componi. Hæc differentia nonnullum videtur habere fundamentum in definitione libertatis: *Principium quod positis omnibus requisitis ad operandum potest operari & non operari*: ergo ad rationem liberi tantum requiritur ut illa, quæ requiruntur ad effectum possint componi cum actu & negatione illius: ergo non erit contra rationem liberi, ut aliquod principium per se non requisitum ad effectum componi nequeat cum negatione actus.

Standum est dictis, & dicendum requiri ad libertatem negationem totius principij influentis in actum, siue talis actus illud principium per se requirat, siue posset fieri independentem, si tale principium abesset, dum eam tale principium in actum influit, non potest talis actus liber euadere propter rationem dictam, tunc enim ille actus ita producit, ut non possit tali principio posito non produci: ergo non producit liberè, neque voluntas cum tali principio fuit indifferens ad producendum & non producendum actum, sed necessariis illum producere fuit coacta. Ad fundamentum desumptum ex definitione principij liberi respondeo per illam particulam *positis omnibus requisitis*, debere intelligi omnia, quæ de facto concurrunt per modum actus primi, quia in quolibet illorum eandem determinationem habet actus secundus tanquam in causa, quam haberet si non posset ab illo non produci. Alij respondent hæc decreta, seu principia connexa cum actu secundo posse componi cum libertate, quia ponuntur ex præuisione eiusdem actus secundi sub conditione liberi præuisi: hanc solutionem impugnari Controv. 9. Punct. 4. n. 9. ubi probō actum imperantem ex se efficacem libertatem adimere imperato.

Dixi requiri negationem principij, seu decreti per se determinati ad actum immediatè in illum influentis, quia si decretum hoc immediatè non influit in actum, sed mediis aliis principijs spectanda est natura horum principiorum; quod si hæc ex natura sua sint connexa cum actu, ita ut non possint componi cum negatione illius, ex vi horum principiorum determinatur libertas in actu primo ad actum, & hic necessariis euadet: quod si decretum hoc tantum influit in actum mediis aliis principijs, quæ ex natura sua possint componi cum actu & negatione illius, ratio est longe diuersa, & videtur actum liberum relinquere, quia actus procedit à principijs proximis ex se indifferenteribus, quæ rectè cum libertate componuntur, & decretum illud tantum est connexum cum actu mediis principijs, & eatenus infert actum, quatenus illam inducit necessitatem actus, quam illam inducunt principia immediata, cum autem principia non sint antecedenter connexa cum actu, neque inducant necessitatem antecedentem illius, sed tantum consequentem cum libertate composibilem, eandem & non aliam infert decretum.

Requiritur insuper ad libertatem in actu primo respectu actus secundi negatio impimenti, seu formæ incompossibilis cum actu secundo inaufertibilis per illum. Ratio est manifesta. Potentia non potest componere actum secundum cum impimento: ergo si per actum secundum non potest illud auferre, non poterit exercere ipsum actum secundum, donec illud impimentum supponatur aliunde ablatum. Ex quo inferas hæc impimenta inaufertibilia non tantum opponi cum formis incompossibilibus per modum incompossibilitatis formalis, sed tanquam quid destruens actum primum ad talem formam seu in quo formaliter consistit non esse actus primi ad illam. Negatio impimenti aufertibilis per actum secundum non requiritur ex parte actus primi ad illam, quia cum hæc per ipsum actum secundum poni possit, non supponitur aliunde posita. Hac ratione non supponitur negatio frigoris in subiecto ad introductionem caloris, quia per ipsam introductionem potest poni hæc negatio utriusque impimenti; exemplum accipe in motu locali: ut ego ex hoc loco Ecclesiæ peram lineam rectam est duplex impimentum: aer occupans spatium intermedium, quo non amoto non poterò illius spatium occupare, neque

ad Ecclesiam peruenire: & murus interpositus: quo etiam non amoto, vel disrupto impossibilis sit aditus linea recta ad Ecclesiam. His positis impedimentis, ut ego liberè motum exerceam requisitum, ut ad Ecclesiam perueniam, non necessum est supponi ablatum impedimentum aëris, quod per motum auferre possum, est tamen necessum supponi ablatum muri impedimentum, quod ego per motum auferre nequeo. Hanc doctrinam apprimè nota, quia facile explicatur quomodo vno hypostatice constituat Christum impeccabilem, quod non præstat gratia habitualis.

11 Ex his inferes libertatem voluntatis dicere pro formali suammet entitatem potentie, & simul entitates alias iurinfecae voluntati, & omnino inhærentes videlicet habitum respectu actus, qui ab illo est producendus: deinde aliud extrinsecum decretum, quo Deus suam omnipotentiam applicat, ut præsidet adit ad occurrendum per modum causæ primæ, & sæpè decretum aliud, quo Deus suam omnipotentiam parat ad concurrendum loco habitus ad actum supernaturalem cum homine peccatore hoc habitu carente. Ex his omnibus libertas confluit, quia potentia volitiva libera constituitur, quia ex omnibus principis indifferentibus ad actum, & ad negationem illius tantum potentia volitiva est quæ vim habet ad illorum indifferentiam determinandam, in qua determinatione consistit actus secundus libertatis in ordine ad quem illius potentia, scilicet voluntas, libera dicitur per suammet entitatem, & per alia complicitia, reliquaque circumstantias, quæ ex parte actus primi ad actum secundum libertatis supponuntur.

12 Ex his facile erit quid sit liberum arbitrium definire, & non difficile sententiæ omnes supra relatæ in concordiam redigi poterunt. Si enim nomine liberi arbitrij intelligatur potentia illa quæ liberè operatur, & formaliter libera constituitur potens se determinare, hæc tantum est voluntas: si autem nomine liberi arbitrij intelligatur non solum potentia, quæ libera constituitur, sed connotans illa, per quæ proximè libera constituitur liberum arbitrium erit voluntas connotans habitum requisitum ad actum, & actus intellectus quibus obiectum representatur indifferens ad amorem, & odium, vel saltem ad negationem amoris, & decretum applicatum omnipotentie. Tandem si nomine liberi arbitrij intelligatur principium liberum, ut formaliter liberum, & proximè in actu primo constitutum in esse liberi, liberum arbitrium non solum dicit potentiam volitivam, sed habitum respectu actus, qui nequit fieri sine illo, & actus intellectus, & omnia illa, quibus formaliter constituitur libertas. Secundum has acceptiones liberi arbitrij facile est in concordiam redigere omnes opiniones supra relatæ, & illarum quilibet in bonum sensum explicare. Si queras, quæ harum acceptio nunc aliis sit præferenda, & quid sonet hæc vox: *liberum arbitrium*? Respondeo, quætionem esse purè de nomine, in qua parum refert hoc vel illo modo loqui, omnes enim acceptiones iuxta communem loquendi modum receptæ sunt, sæpè enim dicitur liberum arbitrium esse homini innatum, & propriam passionem illius, & tunc nomine liberi arbitrij tantum intelligimus potentiam volitivam, & non omnia requisita ad libertatem, quia decretum applicatum omnipotentie non est passio hominis. Aliquando etiam dicimus hominem ebrum vel nimis iracundum libero arbitrio carere, & tunc nomine liberi arbitrij libertatem intelligimus. Frequenter etiam dicimus amentes carere libero arbitrio, quod non dicimus eodem modo de dormientibus, & tunc liberum arbitrium significat potentiam volitivam connotantem omnia requisita ad libertatem proximè & naturaliter possibilia.

PUNCTUM V.

An deficiente libertate in causa prima necessario deficiet in secunda.

1 Contra dictoria docuisse Philosophos asserentes Deum operari ex necessitate naturæ, & causam secundam liberè operari docuit Scotus, qui constanter defendit deficiente libertate in causa prima, inferri per locum intrinsecum causam secundam non posse liberè operari. Ita tenet in 1. distinct. 1. quæstione 1. distinct. 9. quæstione 4. dist. 38.

Francisc. de Oniedo, Philosoph. Tom. II.

ad 1. & in 1. distinct. 1. quæst. 3. Scotum sequuntur illius sectatores, teste Corduba in 1. lib. quæst. 55. dub. 9. Oppositam sententiam defendunt plures Thomistæ, præcipuè ex vetustioribus, qui affirmant non inferri per locum intrinsecum causam secundam necessariò operari, ex eo quod prima absque libertate operetur, quia potest effectus procedere à duplici causa, ab una necessariò, & liberè ab alia: ita tenent Caietan. 1. p. q. 14. art. 13. & q. 19. art. 8. & Ferr. 1. contra Gentes, c. 67. Capr. in 1. dist. 38. qui sententiæ huius patronum aduocant D. Thom. eo quod docuerit à scientia necessaria Dei effectus contingentes prodire, quia illius influxus in secundis causis modificatur. Eandem sententiam defendit Gabr. 1. dist. 38. q. unica, art. 1. parte 2. & Palacios disp. 2.

Quætionem hanc in varios sensus doctè explicuit Nostr. Soar. tom. 1. Metaph. disp. 19. sect. 3. & quia non in omnibus eodem modo dirimenda est quæstio, quid iuxta illorum quemlibet tenendum sit sigillatim explicabo.

Primus quætionis sensus esse potest an deficiente libertate in causa prima, deficiet in secunda id, quod ex parte illius requiritur, ut liberè operetur, ita ut non solum operetur necessariò, quia causa prima illam prædeterminaret ad operandum, sed quia ipsa ex se non haberet quiddam requiritur ex parte ipsius ad operandum, sed ita esset ut eadem inuariata permanens, etiam si causæ primæ libertas accresceret, liberè operari non posset. Quæstione in hunc sensum explicata docet Soar. supra n. 5. assentiendum esse Scoto. Ego tamen neque Scoto, neque Soario assentior, sed affirmo ex suppositione, quod causa prima non esset libera, non inferri causam secundam non posse habere quiddam ex parte illius ad libertatem requirebatur, sed posse adhuc prædicta hypothese gaudere omnibus requisitis ad libertatem ex parte causæ creatæ, ita ut si non posset liberè operari, tota illius necessitas oriretur ex prædeterminatione causæ primæ, quæ secundam ex se liberam necessariò adigeret in alteram contradictionis partem.

Moueor ad hanc conclusionem defendendam, quia, ut bene Soar. causa secunda non constituitur libera formaliter quatenus est ex se per libertatem causæ primæ: ergo deficiente libertate causæ primæ non ex eo deficiet formaliter libertas causæ secundæ. Neque deficiet causaliter ut contendit Soar. quia deficiet libertas causæ primæ à qua dependet libertas causæ secundæ tamquam virtus finita participata à libertate Dei, quia non ex eo quod aliquid deficiat in Deo formaliter, deficiat eminenter, hoc est, deficiat virtus ad illud producendum in creatura: itaque libertas, quæ in Deo non esset, posset in creatura esse producta à Deo & dependens non à libertate Dei, sed à virtute, quam Deus haberet ad producendam libertatem, sicut ratio corporis, quæ est in substantia materiali dependet à Deo, in quo eminenter continetur, licet in illo talis ratio formaliter non reperiatur.

Obiic. Soar. Omnis perfectio nullam inuoluens imperfectionem debet esse participata à Deo: sed libertas est perfectio non inuoluens imperfectionem: ergo debet esse participata à Deo: ergo si in eo non reperiatur, non potest creatura illam à Deo participare: ergo neque illam habere. Resp. omnem perfectionem siue inuoluentem in se imperfectionem aliquam, siue non, essentialiter dependere à Deo tanquā à principio efficiente, à quo illam recepit creatura, quod tantum ex se petit creata perfectio, quia tamen omnis perfectio non inuoluens perfectionem reperitur in Deo, hinc est quod huiusmodi perfectio dicatur à Deo participata, quia à Deo dependet & in Deo reperitur: primum petit ens creatum ex se, secundum pertinet ad indefinitam perfectionem Dei, in hypothese verò, in qua procedit hæc quæstio, supponimus libertatem non reperi in Deo, etiam si sit perfectio nullā inuoluens imperfectionem. Vnde in prædicta suppositione inconueniens non est asserere aliquam perfectionem nullam imperfectionem inuoluentem futuram dependentem à Deo, non tamen participatam ab alia perfectione eiusdem rationis, quæ esset in Deo formaliter sed tantum eminenter, quia illud principium: *Omnis perfectio non inuoluens imperfectionem, est participata à Deo*, fundatur in alio, videlicet, *omnis perfectio quæ non inuoluit imperfectionem reperitur formaliter in Deo*: cum autem supponamus libertatis perfectionem non inuoluentem imperfectionem non reperi in Deo, supponimus deficere hoc principium: *Omnis perfectio non inuoluens imperfectionem reperitur formaliter in Deo*. Vnde mirum non est si deficiat conclusio ex illo illata: *Omnis*

Omnis perfectio non inuolvens imperfectionem, est participatio inusdem perfectioni, in Deo formaliter reperta, quia ex suppositione, quod in Deo talis perfectio non reperitur, sufficit ut ipsa existat, reperiri enim, hoc est, reperiri in Deo virtutem ad illam producendam, quod ens creatum quatenus est ex se, petit ut existat, illa enim participatio perfectionis formaliter existentis in Deo, non provenit tantum ab exigentia entis increati, sed ab exigentia entis creati, quia petit dependere à Deo & ab ipsa constitutione Dei includere formaliter talem perfectionem, & ex his duobus provenit, ut omnis participatio perfectionis non inuolvens imperfectionem sit participatio perfectionis formaliter in Deo reperta.

6 Secundus questionis sensus est. An posita voluntate ex se libera ex eo quod causa prima necessario operetur quidquid potest operari libertas voluntatis impeditur, & omnis actus secundus voluntatis necessario ab illa prodiret. Negativam partem tribuit Sorarius Thomistis asserentibus voluntatem nunquam posse necessitatem pati ab obiecto, sed hoc fundamentum impugnatum est puncto precedenti, & puncto ubi probatur voluntatem posse à Deo immediate cogi ad actum secundum necessarium producendum permanente propositione obiecti, ex vi cuius posset actus liberè procedere, si decretum immediate prædeterminativum actus independenter à libertate illius non intercederet.

7 Hypothesis hæc maiori indigere videtur explicatione, illam quam Doctores præmittunt ad resolutionem questionis. Non possumus supponere Deum necessario producere effectus contentos in omnipotentia quia cum plures illorum in communi sententia adhuc de potentia Dei absoluta coexistere nequeant, non potest illos simul producere. Exempli gratia, non potest, ut vult communis sententia (licet ego aliter sentiam) intellectus simul assentire, & dissentire eidem obiecto. Neque voluntas idem obiectum amare & odio habere, neque eadem numero materia recipere simul duas formas substantiales, neque tota collectio possibilem produci potest, ita ut nulla creatura super sit producenda: ergo non potest concipi omnipotentia determinata ad producendum simul hos affectus, nisi supponatur etiam illorum compossibilitas, quia non potest esse omnipotentia determinata ad faciendum id, quod implicat fieri: ergo si Deus supponeretur æquè determinatus necessario ad omnes effectus contentos in omnipotentia, ad hoc ut produceret amorem, potius quam odium, si uterque actus non potest simul existere, determinandus esset ab aliqua causa creata, quia esset indifferens ad hunc actum vel ad illum producendum, & cum libertatem non haberet non posset à se determinari: ergo determinaretur ab alia causa secunda. Similiter cum non posset tota collectio possibilem produci: determinandus esset ad hæc possibilia, potius quam illa producenda, nisi supponas producibilem esse totam possibilem collectionem.

8 Ex hoc infero, casu, quo Deus per modum actus primi esset æquè determinatus ad producendos effectus contentos in omnipotentia omnique libertate careret ad producendum ex impossibilibus hunc præ alio, voluntatem creatam liberam permanens ad eliciendum prius amorem vel odium, si verum esset hos actus, componi non posse in eadem voluntate, quia ad hanc prælationem vnius præ alio Deus non esset determinatus: ergo si voluntas ex se libera erat posset se ipsam determinare & Deum ipsum, ut potius amorè quam odium produceret, quæ determinatio libera voluntatis per actum secundum non esset contra determinationem necessariam, quam haberet Deus per modum actus primi, quia hæc non esset ad amorem & odium simul producendum, quos actus non posse coexistere in communi opinione supponimus, neque ad vnum actum præ alio, quia ad utrumque esset Deus æquè determinatus, sed ad vnum sub disunctione, cum qua determinatione per modum actus primi, rectè componitur determinatio libera per modum actus secundi ad hunc potius actum quam illum.

9 Illud mihi sane valde dubium est in hac re an voluntas in tali casu posset liberè omittre utrumque actum impossibilem amoris & odij necne? Negativa pars suadetur, quia licet Deus non esset determinatus ad producendum potius amorem, quam odium, esset determinatus ad vnum, vel ad alterum actum sub disunctione producendum: ergo licet non determinaret voluntatem ad producendum actum amoris præ actum odij, neque è contrà determinaret illam ad vnum vel alium producendum. Confirmatur: si

Deus esset determinatus ad producendum hunc numero actum amoris, determinaret voluntatem ad producendum talem actum: ergo quando est sub disunctione determinatus, illam sub disunctione determinat. Affirmativa pars actum liberè omittre sic posset fulciri. Deus ex natura sua determinatus ad producendum amorem, vel odium indigeret determinatione voluntatis, ut aliquem numero actum ex his duobus produceret: ergo si voluntas hanc determinationem non exhibebat, non posset hæc determinatio ad actum sub disunctione aliquam habere efficaciam, quia actus sub disunctione non producit: ergo posset voluntas hanc determinationem non exhibere, & illa determinatio Dei nullum sortiri effectum ex defectu vicine determinationis requisitæ ad hunc actum, potius quam illum producendum. Ex hac ratione facilis solutio delinquitur ad argumentum factum pro altera parte à paritate desumptum, quia quando Deus est determinatus ad hunc actum præ alio producendum nulla expectanda est determinatio voluntatis, ut hunc potius quam illum producat, & ideo non potest ex defectu determinationis voluntatis effectus non produci, quando verò est sub disunctione determinatus expectanda est determinatio voluntatis effectus extremum, ex defectu cuius potest illa Dei determinatio nullum habere effectum. Confirmatur eadem pars in hac hypothesi: voluntas ex se & præcisè ex accidentibus illi intrinsicè inhererentibus adhuc non erat determinata ad alterum actum sub disunctione, sed quatenus est ex se utrumque posset omittre: sed per determinationem extrinsecam Dei non determinaretur necessario ad alterum actum sub disunctione eliciendum: ergo adhuc maneret indifferens ad omittendum simul utrumque. Minori probata legitimum est discursus, sic illa proba. Determinatio extrinsecæ relinquit voluntatem intrinsicè eodè modo ac erat antea: ergo tantum potest illam determinare, quatenus independenter à determinatione illius in actum secundum præcipit: sed determinatio per modum actus primi sub disunctione principij non potest se ad hunc actum præ alio determinare: non potest independenter à determinatione alijs principij in actum secundum prorumpere: ergo nullo modo potest illud adhuc sub disunctione voluntatem determinare. Hac ratione maxime in hanc partem propendeo, secundum quam dicendum est determinationem sub disunctione non posse provenire à principio extrinsecæ determinate ad alterum extremum determinare, nihilominus nihil definit, mihi evolvit sufficit rem hanc, questionemque movisse quam alij definiunt.

Respectu illorum actuum, qui impossibiles non sunt cum alijs, vel ad quos determinat Deus esset per modum naturæ necessario determinatus, certum est, non posse voluntatem liberam permanere, quia omnes hi effectus ita existunt ut non possent non existere, & proveniunt à principio adæquato non indifferenti, & quod componi nequit cum negatione actus.

Alius questionis sensus esse potest, An si Deus liber non esset ad effectus producendos, vel non producendos, neque ad productionem illorum independenter à determinatione voluntatis determinatus, sed determinatus ad producendos effectus dependenter à determinatione voluntatis, ita ut determinationem, quam modò habet per liberum suum decretum indifferens, habet tunc per modum naturæ ita ut non posset illam non habere. Hac hypothesi facta affirmo voluntatem ex se liberam, nullam à causa prima determinationem passuram; imò firmiorem habituram libertatem, quam nunc habet, quia modò potest Deus per negationem concursus, vel per concursum exhibitum independenter à determinatione voluntatis, illius lædere libertatem, quod in prædicta hypothesi non posset, quia liberum non esset Deo concursum non exhibere, neque illum præstare independenter à voluntate. Præcipua conclusio probatur ratione à priori desumpta ex definitione libertatis, quia tunc actus voluntatis penderet à principio adæquato indifferenti ad actum, & ad negationem illius, cuius indifferenciam tantum determinaret Voluntas: ergo talis actus esset liber. Neque ad libertatem vnius principij requiritur libertas alijs principij, ut patet in voluntate concurrente cum habitu, sed tantum indifferencia, hoc est, posse componi cum actu & cum illius negatione. In hunc sensum explicandus est Sor. supra, numero 15, ubi affirmat voluntatem liberam fore casu quo Deus necessario exhiberet

exhiberet eundem concursum, quem modò exhibet, & non alium neque maiori motione, neque magnitudine diuersum. Quæ conclusio vera est, eademque cum illa, quam modò probauimus intelligatur de concursu in actu primo, hoc est, de preparatione omnipotentis ad concurrendum, quam sæpe concursum appellat Soar, vt constabit legenti totam disputationem. Quod si de concursu in actu secundo intelligatur hypothesis, falsa est conclusio, quia si Deus eundem numero concursum, quem modò præbet ad actum liberum mixti voluntatis per decretum ex se indifferens ad actum & ad negationem illius, præberet per decretum ex natura sua determinatum ad actum independentem à voluntate, vel per naturam, quæ non posset componi cum negatione actus voluntatis, hic non procederet à principio indifferenti, ac proinde non esset liber, sed necessarius.

12 Obiit pro Scoto. Causa secunda non agit nisi mota à prima, ergo si prima necessariò mouet secundam, hæc operabitur necessariò. Resp. concedendo antecedens, & negando consequentiam, & doctrinam solutionis sic explico. Deus duplici modo mouet voluntatem per concursum generalem, quem exhibet causæ primæ omnibus causis communem, & per cogitationes, & auxilia, quibus suauiter, & efficaciter voluntatē trahit ad actus honestos cōducetes ad vitam æternam. Motio facta medijs auxilijs non est huius rei, neque illa diuerso modo determinabit voluntatē siue sit necessaria, siue libera respectu Dei, quia idē auxilium, eadēque cogitatio, siue necessariò, siue liberè productur à Deo, eodē modo voluntatem inclināt ad actum. Motio alia, quæ consistit in concursu causæ primæ respectu actus liberi, qui concursus, seu quæ motio non distinguitur ab ipso actu voluntatis siue liberè exhibetur à Deo, siue necessariò, potest exhiberi dependenter, & independentem à determinatione voluntatis, independentem ex vi principij impossibilis cum negatione actus, dependenter ex vi principij indifferētis vt coniungatur cum actu & cū negatione illius modo explicato. Si motio illa exhibetur à Deo independentem à voluntate, siue sit libera, siue necessaria respectu Dei nō poterit cōponi cum libertate, si verò illam præbet Deus dependēter à voluntate, siue id faciat Deus liberè siue necessariò libertatē voluntatis illas relinquet.

PUNCTUM VI.

Diuisio libertatis quoad specificationem, & quoad exercitium.

1 Peruulgus est diuisio libertatis in libertatem quoad specificationem, & quoad exercitium; cui duplex alia necessitas opponitur, quæ partitur necessitas in necessitatē quoad specificationem & quoad exercitium. Sumitur hæc libertatis diuisio ex Angelico Doctore 1.2. q. 13. art. 6. vbi dixit voluntatē esse liberam in electione ad eligendum, & non eligendum hoc medium, quam libertatē vocant quoad exercitium & posse eligere hoc medium, illud renuere, vel hoc renuere & aliud eligere, & hæc dicitur libertas quoad specificationem. Tradunt hanc diuisionem ad locum citatum D. Thomæ, Caiet. & Contr. & P. Vasquez in explicatione illius articuli, P. Soar in Met. disp. 19. sect. 4. n. 9. P. Mol. 1. p. q. 14. disp. 2. Libertas quoad exercitium vulgo dicitur quæ voluntas est indifferens ad amandum, vel non amandum: & libertas quoad specificationem, quæ voluntas est indifferens non solum ad amandum, vel non amandum, sed etiam ad amandum vel odio habendum. Alij explicant libertatem quoad specificationem non solum ad amandum vel odio habendum obiectum propositum, sed per indifferentiam ad amandum obiectum spreto alio huic opposito, & amadum oppositum hoc spreto. Exempli gratia, proposita voluptate prohibita & proposita bonitate Dei amanda super omnia, voluntas habet libertatem quoad specificationem, si valeat, non solum voluptatem prohibitam amare, sed etiam odio habere & Dei bonitatem amare, cuius amor opponitur cum amore voluptatis. Hanc libertatem assignat D. Thom. art. citato vbi duobus medijs propositis non tantum constituit voluntatem indifferentem ad hoc medium, sed etiam ad amandum hoc vel illud alio odio habito: alij cōstituunt hanc libertatē quoad specificationem non per ordinem ad obiecta directæ respectu voluntatis, sed per ordinem ad vnum obiectum directum, & aliud reflexum, respectu eiusdem voluntatis. v.g.

indifferentia ad amandum hoc obiectum amore directo, & ad alium actum reflexum, quo voluntas talis obiecti amore delectari possit, ita vt non solum possit amare obiectum, & illud non amare, atque odio habere, sed etiam habere alium actum, quo dicat nolo habere amorem talis obiecti. Hæc ratio nonnulli appellant libertatem contradictionis libertatem quoad actum, & libertatem contrarietatis quoad obiecta, quia semper respicit obiecta diuersa.

2 Noto duplicem esse necessitatem, quoad exercitium, vna est quæ voluntas adstringitur ad exercitium vagum, v.g. ad exercitium huius, vel illius actus, ita vt non possit voluntas vtrumque simul omittere, potest tamen alterum quod maluerit non exhibere, dummodo aliud amplectatur. Hæc necessitas non opponitur cum libertate quoad specificationem, imò si alia non superueniat voluntatis, illam arguit, si enim voluntas tantum tenetur amare, vel odio habere sub disunctione, libere est illi amorem relinquere, & odium exequi, vel è contra, ac proinde indifferens est inter actus specie distinctos. Hæc necessitas comitatur semper voluntatem in opinione illorum, qui puram omissionem non admittunt, quia cum voluntas potens amare non possit se ab amore cohibere sine actu illi opposito, tenetur necessariò ad amorem, vel ad actum amoris oppositum.

3 Huic necessitati opponitur alia libertas, quæ voluntas est absoluta obligatione eliciendi actum in particulari vel sub disunctione, quæ essentialiter dicit carentiam necessitatis quoad specificationem, non tamen ex suo conceptu formaliter includit per locum intrinsecum libertatem, quoad specificationem, quia si supponamus voluntatem esse indifferentem ad amandum, vel non amandum aliquam bonitatem, non tamen esse potentem illam odio habere, vel tendere circa aliud obiectum tali bonitati oppositum, voluntas erit absoluta à necessitate supradicta, tamen libera neque determinata quoad specificationem, dicit tamen hæc carentia necessitatis quoad exercitium adhuc sub disunctione libertatem quoad omnem specificationem, circa quam voluntas supponitur potens, & quia numquam voluntas libertatem habet circa vnicam tantum speciem actus semper dicit libertatem quoad specificationem, quia quotiescumque est potentia ad species distinctas, & ad neutram est determinatio, seu necessitas, ad vtramque est necessariò libertas. Necessitatem supradictam exercitij sub disunctione huius, vel illius plerique non meminere, quia componitur cum libertate quoad specificationem, quam dicunt includere essentialiter negationem necessitatis quoad exercitium & libertatem illi oppositam, quod intelligi nequit de necessitate supradicta, neque de libertate, quam hæc necessitas excludit.

4 Alia est necessitas quoad exercitium determinatum in particulari circa hunc actum in specie, quam absolute Doctores vocant necessitatem quoad exercitium, & opponitur cum libertate quoad specificationem, quia nullā relinquit indifferentiam inter differentias specie oppositas, & dicit necessitatē contrarietatis, & contradictionis, hoc est, necessitatem inter actus contrarios, quæ voluntas tenetur amare, & non potest odio habere, quæ necessitas opponitur libertati contrarietatis, & dicit necessitatem contradictionis, quæ voluntas ita tenetur amare vt non possit non amare, quæ opponitur libertati contradictionis, quæ ita dicitur, quia est inter extrema contradictoriè opposita, v.g. inter amorem, & negationem amoris.

5 Alia necessitas est tantum quoad specificationem quæ voluntas tenetur ex suppositione quod tendat circa tale obiectum materiale, tēdere actu huius speciei v.g. amoris, & non odij, non tamen ex vi huius necessitatis tenetur absolute tale obiectum amare, sed potest illud amare & non amare. Hæc necessitas est eadem cum necessitate contrarietatis. Huic necessitati opponitur libertas, quoad specificationem, seu libertas contrarietatis, quæ voluntas potest amare, & odio habere idem materiale obiectum, quæ libertas includit essentialiter libertatem, quoad exercitium determinatum talis actus, quia cum necessitate ad exercitium in particulari, libertas quoad specificationem subsistere nequit, vt dicebam modo. Dixi libertatē contrarietatis esse, quia voluntas potest amare, & odio habere idem obiectum materiale, quia circa idem obiectum formale numquam potest esse hæc indifferentia, quia bonum vt bonum ita amatur vt possit odio haberi, & malum vt malum ita odio habetur vt non possit amari. His positis

6 Dico primò. Nulla est libertas circa obiectum, quod possit naturaliter amari, & odio haberi, inter extrema purè contradictoria, quæ non includat essentialiter libertatem in actu primo inter extrema positiua inter se incompatibilia, etiam si pura omisso admitatur. Hanc conclusionem docet Soar in Metaph. disp. 19. sect. 4. n. 9. cuius rationem impugnabo postea, conclusionem verò sic probò. Vt voluntas, cui proposita est bonitas in obiecto, quod potest amare, sit libera ad illud non amandum, necessum est ut illi representetur aliqua ratio mali, vel in obiecto proposito ut amabili, vel in illius amore, sed eo ipso quod illi proponatur aliqua ratio mali in obiecto amando vel in amore potest odio habere obiectum illud, vel amorem: ergo quotiescumque voluntas est libera ad aliquem actum est libera ad versandum circa duplicem illam rationem boni, aut mali, quæ apparet in obiecto, vel in obiecto, & in amore illius: ergo nunquam est libera pura libertate contradictionis inter actum, & negationem illius. Primum antecedens negari nequit, quotiescumque enim in obiecto amando, aut in amore illius nulla apparet ratio mali, & representatur ut bonum, necessarium amatur, neque ex alio capite resultat in voluntate amor necessarius aliquorum obiectorum, nisi quia representatur ut bona sine admixtione mali. Consequentiam probò: Quotiescumque voluntati proponitur ratio mali, est potens odio habere, & quotiescumque proponitur ratio boni in obiecto, quod naturaliter potest amari, est potens amare: sed quotiescumque est voluntas libera debet illi proponi ratio boni, & ratio mali, ne proposita ratione boni sine admixtione mali necessarium amet, aut proposita ratione mali sine admixtione boni necessarium odio habeat: ergo quotiescumque voluntas est libera ad aliquem actum est libera ad amandum, & odio habendum: ergo nunquam est libera libertate pura contradictionis inter actum, & illius negationem, quia libera sit inter duplicem actum.

7 Dico secundò. Non quotiescumque voluntas est libera ad amorem eliciendum, vel non eliciendum, est libera ad actum reflexum, quo dicat, volo amorem elicere, vel non elicere. Hæc conclusio est contra Suarezium supra, qui ex illa præcedentem probat quam ego sic suadeo. Vt voluntas liberè amet non necessum est ipsam cognoscere amorem, sed sufficit si cognoscat bonitatem & malitiam obiecti: ergo poterit liberè amare quin possit habere actum reflexum quo dicat, volo elicere, vel non elicere amorem. Consequentiam probò: ut voluntas possit dicere, volo amare, necessaria est cognitio amoris: sed potest esse libera ad amandum sine cognitione amoris. Ergo potest esse libera ad amandum absque eo quod sit potens reflectere tendere supra suum amorem per actum quo dicat, volo amare.

8 Dico tertio. Quotiescumque voluntas est libera ad amandum, & odio habendum idem obiectum materiale, habet libertatem contrarietatis propriam, & strictam, neque necessum est hanc libertatem tendere inter obiecta materialiter distincta. Probatur conclusio: libertas ad amandum, & odio habendum idem obiectum materiale (loquor de amore efficaci) est libertas inter actus propriissimè contrarios: ergo est libertas contrarietatis: ergo contrarietas. Hanc conclusionem existimo absque impugnatione ab omnibus admitti, quapropter in illa probanda non amplius immoror.

9 Dico quarto. Libertas contrarietatis super assignata includit in se duplicem libertatem contradictionis secum identificatam. Priorem partem conclusionis probò: qui amat ita ut possit odio habere, ita amat ut possit non amare: ergo in libertate ad amandum & odio habendum, includitur libertas ad amandum. Similiter qui ita potest odio habere ut possit amare, ita potest odio habere ut possit non odio habere: ergo in libertate ad odio habendum, & amandum essentialiter includitur libertas ad odio habendum, & non habendum: ergo in prædicta libertate includitur libertas inter hæc contradictoria amare & non amare; odio habere, & non odio habere: ergo includitur duplex libertas contradictionis. Posteriolem partem conclusionis, videlicet has libertates contradictionis esse identificatas cum libertate contrarietatis non tantum quamlibet inadæquatè & utramque adæquatè, sed quamlibet adæquatè, sic probò: libertas contradictionis ad amandum, & non amandum, idem dico de actu opposito, constituitur per duplicem cognitionem, qua obiectum representatur

bonum, & malum, neque ad hanc libertatem sufficit si vnicuique ratio boni, vel mali appareat, sed per eandem duplicem cognitionem representantem rationem boni, & mali constituitur libertas contrarietatis: ergo libertas contrarietatis, & contradictionis non distinguuntur. Non sum obligatus me dixisse ad libertatem contradictionis non requiri cognoscere rationem boni, & mali in obiecto, sed sufficere si appareat ratio boni in obiecto amando, & ratio mali in obiecto, & tunc distinguitur libertas ad amandum, & non amandum obiectum à libertate ad amandum, & odio habendum tale obiectum. Dico tamen adhuc in hoc casu non distingui libertatem contradictionis à libertate ad amandum obiectum, & ad odio habendum amorem illius, & tunc in hac libertate ad amandum obiectum, & odio habendum illius amorem, includi duplicem libertatem contradictionis, videlicet ad amandum, & non amandum obiectum, & ad odio habendum, & non odio habendum amorem illius. Cum hoc tamen rectè componitur libertatem contrarietatis ad amandum, & odio habendum semper secum habere identitatem duplicem libertatem contradictionis non resultantem ex cognitione bonitatis in obiecto amando, & malitiam in illius amore, sed ex cognitione bonitatis, & malitiam in eodem obiecto, quæ essentialiter constituit libertatem contrarietatis, & duplicem libertatem contradictionis illi identificatam, seu potius unitam libertatem circa duo obiecta contraria, & circa illius contradictoria, quæ dicitur duplex libertas contradictionis ex parte obiecti non tamen ex parte forme quia est eademmodi indivisibilis libertas ad actus contrarios & ad illius contradictoria indivisibiliter in duplici illa cognitione constituta.

Dico quinto. Quando est libertas non solum ad actus contrarios circa idem obiectum materiale, sed etiam circa obiecta materialiter distincta inter se incompatibilia, verbi gratia, est libertas in voluntate ut velit Matrimonium petere, vel Toletum: tunc est in voluntate duplex libertas contrarietatis includens quatuor libertates contradictionis, quia tunc voluntas est potens habere actus positivos volendi, & nolendi ire Matrimonium, & similiter est potens ad contradictorium cuiuslibet illius actus, nam eo ipso quod sit potens ad actum, quo dicat, volo ire Toletum, est potens ad eandem actum, quo diceret, nolo ire Toletum, & sic de aliis.

Dico sexto. Quando voluntati proponitur tantum bonitas obiecti, & malitia in illius exercitio & tantum est potens ad amandum obiectum, vel odio habendum illius amorem, tunc non dicitur libera libertate contrarietatis, sed libertate contradictionis. Hæc conclusio est tantum de modo loquendi, quia in re iam dixi tunc esse liberam ad amandum, & non amandum obiectum, & odio habendum, & non odio habendum amorem obiecti: An vero hæc libertas tantum dicenda sit libertas contradictionis, vel contrarietatis, est tantum quæstio de nomine. Pater illam vocare libertatem contradictionis tantum, ut concedam aliquam libertatem contradictionis cum communi sententia, quæ libertatem hanc ab illa distinguit, & prædictam libertatem contradictionis appellat. Deinde quia libertas hæc non est inter actus propriè contrarios, amor enim obiecti, & odium amoris eiusdem obiecti non opponuntur propriè contrariè, quia non sunt amor & odium eiusdem obiecti, qui sub genere actus voluntatis maxime distant, neque opponuntur per puram impossibilitatem formarum, sed quia odium amoris inducit quasi sufficienter negationem amoris, & voluntatem determinat ad talem negationem, ita opponitur cum amore tanquam cum habitu opposito negationi ad quam tale odium voluntatem determinat.

Dico septimo. Circa obiectum, quod naturaliter potest amari, & odio haberi, potest contingere de potentia Dei absoluta libertas pura contradictionis sine libertate contrarietatis. Probo hanc conclusionem: Potest Deus voluntati, cui est proposita ratio boni, & mali circa aliquod obiectum applicare suam potentiam indifferentem ad amorem producendum, & non producendum, non tamen ad odium: ergo tunc voluntas illa erit libera ad amandum, & non amandum, cum habeat omnia prærequisita ad amorem ex se compossibilia cum negatione amoris, & non erit libera ad odio habendum, quia non habet omnipotentiam preparatam ad eliciendum tale odium sine qua representatione actum odij elicere non valet.

Dico

13 Dico octauo. Si obiectum talis sit naturæ vt naturaliter amari nequeat, potest dari naturaliter circa illud pura libertas contradictionis sine libertate contrarietatis. Sic conclusionem proba: Supponamus bonitatem Dei amari non posse naturaliter sine cognitione supernaturali, tunc proponatur Deus homini sub aliqua ratione, qua illud apprehendat vt malum sibi, & proponatur in se bonus per cognitionem naturalem; tunc talis homo physicè erit liber ad odium Dei, & negationem illius, quia habet cognitionem inclinantem ad odium & cognitionem, qua Deus illi representatur vt bonus, quæ sufficiens est vt possit hominè retrahere à tali odio, quia licet cognitio naturalis Dei non sufficiens sit, vt Deus ametur, quia illius bonitas amanda est amore supernaturali, qui à cognitione supernaturali dependet, tamen sufficiens esse poterit vt voluntatem retrahat ab odio Dei, quia talis retractio non est supernaturalis, ac proinde non dependet à cognitione supernaturali; non tamen talis homo poterit amare Dei bonitatem, quia supponimus non posse dari hunc amorè sine cognitione supernaturali, & hominem tantum esse naturali cognitione præuentum. Hæc conclusio tantum est condicionalis ex eo quod sit obiectum aliquod quod naturaliter amari nequeat amore naturali: an verò Deus, in quo potissimè hæc ratio posset inueniri, si in aliquo obiecto esset inuenienda; amari possit adhuc vt bonus in se ipso amore naturali, alibi definiendum est, sufficit modo ad naturam libertatis cognoscendam hanc conclusionem conditionatam tradidisse.

14 Ex his constat libertatem contrarietatis semper esse circa obiecta formaliter distincta, quia est inter actum amoris, & odij, quorum vnus bonitatem, alter malitiā respicit, non tamen requirere distinctionem materialem obiectorum, quia circa idem obiectum materiale voluntas est indifferens ad amorem, vel odium. Constat similiter libertatem contradictionis non esse circa obiecta adhuc formaliter distincta, sed inter actum, & non actum, ex quibus extremis actus respicit quoddam obiectum, negatio verò actus nullum respicit obiectum, sed tantum est negatio tendentiæ circa idem obiectum, circa quod tenderet actus, ac proinde in libertate contradictionis neque positio neque negatio connotatur duplex obiectum materiale, neque formale, sed vnum simplicissimum.

PUNCTUM VII.

De libertate in actu secundo.

1 Dixi libertatem in actu primo, seu principium liberum in actu esse voluntatem, ita constitutam vt habeat omnia requisita ad operationem, cum quibus indifferens maneat ad operandum, & non operandum. Hac definitione supposita facile erit explicare quid sit libertas in actu secundo, omnis enim actiua virtus ad actum secundum reducitur per suam actionem, & libertas in actu secundo erit principium illud liberum in actu primo cum sua actione, quæ erit formaliter actus secundus, qua liberum in actu primo constituitur in actu secundo. Actionem hanc esse volitionem certum est in mea sententia constituyente actionem vitalem in ipso actuali influxu indistincto à termino. Reliqui qui totam rationem actionis vitalis constituunt in termino ab actione distincto tenentur dicere rationem vitalem, videlicet volitionem, desumere totam suam libertatem ab actione, in qua consistit tota determinatio principij potentis operari, & non operari.

2 Libertatem in actu secundo consistere in actione existimo esse per se notum, in quo enim constituendus est actus secundus virtutis actiue nisi in ipsa actione per quā formaliter id quod erat potens efficere, efficiens constituitur? Rationem per se notam expendo: liberum in actu primo est quod potest operari, & non operari: ergo in actu secundo liberum constituitur per exercitium talis actus primi, seu potentie: sed hoc exercitium est ipsa actio; ergo in hac constituenda est ratio actus primi. Primum antecedens est definitio libertatis ab omnibus doctoribus tradita, prior consequutio est euidentis; secundum antecedens, seu minorem, quæ tacitam minorem supponit sic proba: illud est exercitium potentie, per quod formaliter constituitur efficiens id, respectu cuius est potentia; & per quod formaliter se exercet, & tribuit esse effectui, sed principium po-

tens operari constituitur operans per id respectu cuius est potentia, & se formaliter exercet, tribuitque esse effectui intra se contento per actionem: ergo actio ipsa est actus secundus huius actus primi.

3 Confirmatur. Per actionem constituitur voluntas operans: ergo si ad actionem voluntas supponitur potens operari per actionem constituitur operans effectum quem potuit non operari.

4 Neque in hac operatione constituenda est aliqua relatio, seu accidens superadditum, per quod constituitur in actu secundo libera, quia omni superaddito clauso est determinatio actus primi, & illud constituit in actu secundo, & per nudam actionem virtus quæ antea erat actiua dicitur iam formaliter efficiens: ergo ante omne accidens superadditum actio determinat virtutem actiuam. Confirmatur: Per illud reducitur virtus actiua ad actum secundum efficiendi, per quod constituitur efficiens: sed virtus actiua constituitur formaliter efficiens per actionem, & non per aliquod actioni superadditum: ergo per actionem & non aliud accidens superadditum reducitur ad actum secundum virtus actiua, seu principium potens operari, & non operari.

5 Confirmo eandem conclusionem. Nullum est accidens superadditum per quod possit constitui volitio potens existere & non existere, quia nullum est accidens per quod constituitur libera in actu secundo. Probo antecedens. Omne accidens inherens subiecto supponit illius existentiam: ergo non potest illud constituere potens existere, siquidem ante illud est iam non solum potentia ad existendum, sed etiam ipsa existentia. Deinde negatio existentie est necessariò independenter ab accidente superaddito, nihil enim potest non existere per aliquod illi superadditum, quia non existenti nihil superaddi potest: ergo neque potentia ad existendum, neque ad non existendum potest conuenire volitioni per accidens superadditum: ergo indifferencia ad existendum, & non existendum, in qua consistit libertas non potest consistere in accidente superaddito. Stat iam libertatem in actu secundo nihil aliud esse præter libertatem in actu primo, cum actione, qua formaliter constituitur in actu secundo voluntas efficiens tanquam per actum secundum actus primi liberi. Restat modo examinare; An hæc actio libera in actu secundo, formaliter per suammet entitatem libera constituitur, ita vt eadem necessaria esse non possit sed aliquid speciale habeat actio libera, per quod distinguatur à necessaria, & è contrà: An verò actio voluntatis extrinsecè libera dicatur à principio indifferenti, ita vt eadem actio, quæ modo est libera, potuerit antecedenter in eodem instanti esse necessaria, & possit transire de necessaria in non liberam, & è contrà, quam difficultatem dissoluet punctum sequens.

PUNCTUM VIII.

An ratio liberi sit actioni intrinseca.

1 Explicui punct. præcedentis tituli difficultatem, circa quam duplex est opinio. Prima defendit libertatem esse intrinsecam actioni, hanc defendit Hurtadus disp. 15. sect. 6. suble. 2. cum paucis ex vetustioribus Thomistis, quos citatos inuenies apud Vasquez, & Salas, quos modo dabo. Secunda sententia asserit libertatem esse extrinsecam actioni voluntatis modo suprà explicato: hanc defendunt Vasquez 1.2. disp. 34. cap. 3. n. 15. & disp. 55. cap. 3. n. 12. Soar 1.2. disput. 1. de voluntario, sect. 3. num. 18. Salas 1.2. quæst. 18. tractat. 7. disputat. 2. section. 5. & 6. Arriaga disput. 8. sect. 4. suble. 4. & communiter ferè omnes nostri Doctores.

§. I.

Propria sententia.

2 Libertatem esse extrinsecam actioni proba ratione à priori desumpta ex natura libertatis, & definitione libertatis in actu primo, & in actu secundo. Actus liber est ille, qui provenit à principio indifferenti ad illud efficiendū, & non efficiendū: sed est extrinsecū huic actioni provenire à principio cū hac indifferencia constituto, & provenire potuit à principio determinato ad illum: ergo huic actui est

est extrinseca libertas, & illi deficere potuit probabo minorem, & discursus vndique constans erit. Actui amoris supponenti ex parte principij duplicem cognitionem, quendam inuitantem ad amorem, & aliam retrahentem ab ipso amore, est accidentale, & omnino per accidens ad illum supponi cognitionem retrahentem voluntatem ab illo eliciendo: ergo est omnino per accidens respectu illius provenire à principio indifferenti: consequentiam nemo negabit, quia indifferentia essentialiter duplicem illam cognitionem includit, & non potest convenire per se alicui actui provenire à principio indifferenti, cui per se non conveniat provenire à duplici cognitione. Antecedens probatur: Cognitionis retrahens voluntatem ab amore non influit per se in actum, imò potius aliquo modo est impedimentum, ut talis actus eliciatur, & ex se ordinatur ut fiat actus oppositus, & ne fiat actus amoris: ergo actus amoris non dependet per se ab illa, nihil enim per se dependet ab alio, quod per se non influit in ipsum, sed tantum retrahit ne illud producat. Cognitionem retrahentem ad amorem tantum influere hoc modo certum est, quia illa cognitio tantum habet ex se proponere voluntati motum inclinans ad actum oppositum actui amoris, vel saltem motum ad omissionem odij: ergo cogitatio retrahens ab amore, quam essentialiter includit libertas ad amorem, tantum influit retrahendo voluntatem à productione amoris, & inclinando illam ne talem actum producat: ergo non influit per se in talem actum.

3 Confirmatur. Cognitionis tantum influit in volitionem eliciendam, & potentia tantum illuminatur ad actum quatenus illi proponitur motum ad actum: ergo tantum illa cognitio influit in volitionem, quæ proponit motum ad volitionem eliciendam: sed cognitio retrahens voluntatem ab amore non proposuit motum ad amorem, sed potius ad oppositum: ergo non influit in amorem: ergo extrinsecum est amoris supponi hanc cogitationem ex parte intellectus, ut eliciatur ipse amor: ergo extrinsecum est illi provenire à principio indifferenti, quod essentialiter in ratione indifferenti constituitur per duplicem cognitionem inuitantem ad actum, & ab eodem retrahentem: ergo extrinsecum est illi provenire à principio libertatis: ergo extrinseca est illi libertas.

4 Secundo eandem conclusionem probatur: cognitio inclinans ad amorem, quæ in consortio alijs retrahentis ab ipso amore, efficaciter voluntatem allexit ad amorem, posset efficaciter ad eundem numero actum voluntatem allicere deficere alia cognitione, quæ retrahebat ab amore: ergo idemmet actus, qui modò est liber potuit esse necessarius. Consequentia est necessaria, quia si cognitio inclinans ad amorem potest allicere voluntatem efficaciter ad eundem actum in consortio alijs retrahentis, & se solâ, amor idem potest provenire à voluntate præventa duplici cogitatione, vñ inclinante ad ipsum, altera ab eodem retrahente, & potest ab unica tantum provenire: ergo potest provenire à principio indifferenti constituto per duplicem illam cognitionem, & determinato ex vi eiusdem: ergo eidem actui potuit indifferenter contingere liberè aut necessariò produci. Antecedens probatur. Cogitatio inclinans ad amorem non iuvatur ab alia cogitatione retrahente ne ad talem numero amorem inclinet, potius illa cogitatio retrahit voluntatem ab omni amore, & intendit impedire, & detinere cogitationem inclinantem per suam entitatem in actu primo ad amorem, ne efficaciter in actu secundo ad illum voluntatem inclinet: ergo melius poterit cogitatio illa suum effectum sortiri, & voluntatem allicere ad eundem actum alterâ cogitatione non impediente, neque obstante, quàm cum illa, quælibet enim causa facilius producit effectum sine impedimento, aut resistentia, quàm cum illa, quæcumque illa sit neque excogitari potest causa aliqua in rerum natura, quæ per se, & essentialiter indigeat impedimento aliquo ad effectum producendum, ut illum producat, neque effectus, qui ex natura sua per se & essentialiter dependeat ab illo, quod tantum se habeat per modum impedimenti ad talem actum & per modum retrahentis, & remouentis potentiam à productione illius.

5 Argumentatus sum ut probem libertatem esse extrinsecam volitioni, argumento desumpto ex cogitatione retrahente ab actu, quæ ad libertatem supponitur: modò argumentum desumo ex concursu Dei, ex quo libertas actus

essentialiter dependet. Potest idem actus, qui procedit à decreto indifferenti Dei, quo decernit concurrere deperdenter à voluntate, procedere à decreto absoluto ex se determinato ad talem actum producendum: ergo idem actus, qui modò est liber potest esse necessarius. Consequentia patet ex dictis de decreto antecedenti nostris actus liberos, quod si ex se sit efficax libertatem nostris. Antecedens probatur: hic actus liber tantum dependet à decreto Dei tanquam à decreto omnipotentis ut concurrat cum voluntate: ergo idem erit siue omnipotentia applicetur ex vi huius decreti indifferenti, siue illius determinati. Antecedens admittunt omnes, consequentiam probatur: principium immediatum & per se attingens actum ex parte Dei non est decretum applicans omnipotentiam sed ipsa omnipotentia: ergo siue omnipotentia sit applicata per hoc decretum, siue per illud ex parte Dei est idem immediatum principium per se attingens actum ex parte creaturæ (suppono voluntatem eandem eidem principijs adiutam, & cogitationibus præventam concurrere ad actum) ergo ex eo quod decretum, quo omnipotentia applicatur ad volitionem producendam, sit indifferens vel determinatum, seu ex eo quod omnipotentia applicetur ex vi huius, vel illius decreti, non variatur principium immediatum, & per se attingens actum: ergo ex huius variatione decreti præcisè non variatur actus, quia quocumque principium immediatum attingens effectum est omnino idem, effectus potest esse idem. Principium immediatè attingens actum ex parte Dei non est decretum applicatum omnipotentia, sed ipsam omnipotentiam sic probatur. Decretum diuinum applicans omnipotentiam ad volitionem creatam producendam, se habet respectu volitionis creatæ producendæ, sicut se habet actus meæ voluntatis applicans potentiam locomotivam ad deambulationem: sed deambulatio à me facta tantum per se dependet à potentia locomotiva, & non ab actu voluntatis illam applicante: ergo volitio creata tantum dependet ab omnipotentia, & non à decreto diuino per se, & immediatè, sed tantum tanquam à conditione applicante omnipotentiam. Maiorem probavi Controuers. in Physic. Punct. 4. ubi explicui quomodo causa primæ secundæ operatur, & ab omnibus admittitur. Minorem probatur: eadem erit deambulatio, siue ego deambulem actu applicante potentiam locomotivam ex hoc, vel ex illo motu: ergo deambulatio non dependet per se & immediatè ab hoc actu voluntatis applicante potentiam locomotivam. Idem argumentum efformo in Deo. Idem actus voluntatis erit siue Deus applicet omnipotentiam ad illum producendum ex vi decreti respicientis hoc, vel illud motum: ergo mea volitio non dependet immediatè ab hoc determinato decreto.

6 Respondebis: meam volitionem fore eandem provenientem ex decreto indifferenti respicienti hoc, vel illud motum, & per se hanc volitionem liberam non dependere à decreto indifferenti respicienti hoc motum, dependere tamen à decreto indifferenti ut sic & non posse dependere à decreto efficaciter determinato. Contrarietatis voluntatis idem numero potest dependere ab hoc vel ab illo decreto indifferenti: ergo physice immediatè per se non attingit dependentiam ab hoc neque ab illo in particulari: ergo neque in communi, quia non potest dari dependentia intrinseca, & immediata per se huius numero actionis à causa in communi, neque sub distinctione ab hac, vel ab illa, hac enim numero actio semper respicit hoc numero principium: ergo dependentia, quam habet mea volitio à decreto Dei non est tanquam à principio immediatè & physice influente in ipsam volitionem, sed tanquam à principio omnipotentiam determinante: ergo poterit dependere à quocumque decreto determinatio omnipotentia. Instabis posse dependere à quocumque principio determinante, seu applicante omnipotentiam hoc modo, videlicet cum indifferentia ad producendum, vel non producendum determinanda ex parte voluntatis non à decreto antecedente efficaciter determinante omnipotentiam. Contrarietatis diversus modus determinandi solum arguit diversitatem ex parte decreti, seu applicationis, quæ per se physice non conducit ad actum, sed tantum ut conditio applicans omnipotentiam: ergo non arguit diversitatem effectus.

7 Ex eodem principio iterum arguo: nulla est repugnancia in eo quod Deus prædeterminet efficaciter independentem

denter à voluntate actum, quem præuidit posse liberè fieri à voluntate: ergo actus, qui liber esse potuit, necessariò potuit procedere. Antecedens probat: si aliqua esset repugnantia, maximè, quia talis actus, quem Deus præuidit posse liberè produci per se & essentialiter dependet à decreto indifferenti, & à negatione talis prædeterminationis, vel quia talis actus productus ex vi talis prædeterminationis, esset necessarius, & liber, quod inuoluit contradictionem: necessarius quia procedit à principio determinato liber, quia intrinsecè, & ex natura sua liber est, siquidem præuius est à Deo potens liberè produci; actus autè qui liber esse potest, intrinsecè, & efficaciter liber est. Non sequitur prior repugnantia; quia iam probauimus actum non dependere per se & immediatè ab hoc numero, vel specie decreto Dei. Non posterior, quod sic probat: ille actus ita productus non produceretur à principio determinato, & à principio indifferenti: ergo non esset liber, & necessarius; patet antecedens, quia suppono actum, qui potuit procedere à principio cum indifferentia, processisse à principio carente indifferentia. Consequentia probat: ut actus sit liber essentialiter requiritur procedere à principio indifferenti, sed talis actus non procederet à principio indifferenti: ergo non esset liber: ergo non esset simul liber & necessarius. Hæc ratio attingit aliam à priori, quam postea expendam.

8 Ex eodem principio rursus efficaciter arguo: Sequitur ex hac sententia Deum non potuisse volitionem quamdam habui in instanti præcedenti, & iam illa careo, quia liberè illam eliciui, & liberè ab illa abstineo permanentibus eisdem principiis ex vi quorum illam habebam in instanti antecedenti de potentia Dei absoluta ad hoc vsque præfens intrans conferuare, non producta alia cogitatione de nouo, sed permanente eadem eisdemque aliis compunctis creatis, quæ antea influxerant in volitionem. Sequelam probat: vel Deus conferuaturus erat illam volitionem liberam, vel necessariam respectu voluntatis: non necessariam, aliàs eadem volitio transibit de necessaria in liberam: non liberam, quod sic probat. Deus tantum potest determinare conferuationem liberam volitionis, quatenus potest parare suam omnipotentiam, & applicare cogitationes, & principia indifferentia, ex vi quorum liberè exhibetur à voluntate: ergo non potest Deus adhuc antecedenter facere ut voluntas, quæ ex vi huius principij liberè non conferuat suam volitionem, illam conferuet liberè ex vi talis principij. Probat consequentiam: Volitio mea libera eatenus est in potestate Dei, quatenus est in potestate Dei ponere hæc vel illa principia quibus eliciam, vel non eliciam talem volitionem: ergo si Deus ponat hæc principia, cum quibus ego quatenus est ex me, non consentiam, & non alia, non poterit aliis non positis volitionem meam liberè conferuare: ergo si non potest conferuare volitionem iam necessariam respectu meæ voluntatis, quæ antea fuit libera nullo modo adhuc antecedenter potuit sine productione aliorum principiorum conferuare volitionem, quam habui in instanti præcedenti à qua liberè cessauit permanentibus eisdem principiis, quibus antè illam produxeram. Rursus: Posito eodem decreto Dei, & eisdem principiis creatis respectu effectus sine aliqua variatione, non est in potestate Dei effectum aliter se habere, ac se habet ex vi talis decreti, & talis principij, ut per se patet, quia effectus externus tantum est in potestate Dei quatenus est in potestate illius ponere hoc, vel illud decretum, & non est Deus liber ad producendum, vel non producendum ex vi eiusdem decreti, aliàs esset immediatè liber respectu actionum ad extra & non tantum medià volitionis: sed posito decreto Dei indifferenti ad actum & positis his principiis inclinantibus ad conferuationem illius, non illum conferuari in hoc instanti: ergo non est in potestate Dei adhuc antecedenter ut illum conferuem inuariato decreto, & inuariatis principiis creatis: ergo si Deus velit conferuari actum inuariatis principiis creatis, debet variari decretum, & non poni indifferentens, ex vi cuius volitio non conferuatur, sed aliud determinatum, ut seruetur: ergo si volitio mea quæ de facto non conferuatur ex vi huius cogitationis conferuanda esset cum eadem cogitatione, & cum eisdem principiis, & non aliis debebat esse decretum antecedenter determinans volitionem, & connexum ex natura sua cum illa: ergo conferuanda esset necessariò: ergo si hæc volitio, quæ modo est libera, non potest transire in necessariam absolute verum est

Deum de potentia absoluta non posse conferuare vsque ad hoc instans volitionem, quam habui in instanti præcedenti, non productis aliis principiis distinctis ab his, cum quibus antea illam produxeram, & modò permanentibus non illam conferuo.

Forfan vi illationis admittent sequelam aduersarij, quæ nullis difficultate non oppressus tanquam absurdum non reiciet, nulla enim poterit assignari contradictio in eo quod Deus volitionem prædictam conferuet sine productione nouæ cogitationis, imò absurdum videtur substantià effectus, quæ libera esse potest respectu voluntatis cū his principiis, non esse liberam respectu Dei, neque posse illam cum eisdem principiis & non aliis producere, & eisdem cogitationibus, & principiis creatis positis respectu volitionis, voluntatem posse constitui liberam respectu effectus, ad quem Deus antecedenter ad omne suum decretum circa tale effectum liber esse non possit. Quæ omnia nullus concedet, nisi vi illationis coactus, quapropter si aliquem hoc argumentum vexare contenderem, sic illud proponerem: Ad omnem volitionem, ad quæ est libera voluntas cū his cogitationibus, & cōprincipiis creatis est liber etiam Deus suppositis eisdem compunctis creatis ex parte voluntatis antecedenter ad aliud decretum concurrendi, vel non concurrendi cum voluntate: ergo libertas non est intrinseca actioni, latet adhuc vis illationis, quæ non præuisa nullus antecedens negabit, quod si semel concedatur, ex illo euidenter inferetur Deum esse liberum ad conferuandum actum, quem non conferuat mea voluntas cum his compunctis creatis: ergo potest illi conferuare, non liberum respectu voluntatis, quia ex vi horum principiorum & decreti indifferentis voluntas non se determinat: ergo necessarium respectu voluntatis ex vi decreti efficacis, & determinati. Recognoscere discursum supra factum.

10 Pro eadem conclusione arguo à priori ex definitione actus liberi. Actus liber est ille, qui positis omnibus ad illi prærequisitis potuit esse, & non esse: ergo ex eo præcisè potest intelligi hic actus liber, quod processit à voluntate cū omnibus prærequisitis ut talis actus potuerit esse & non esse: Et ex eo præcisè actus erit necessarius quod processit à principio non indifferenti ad actum, & ad negationem illius: ergo superfluum ponitur prædicatū intrinsecū actui, per quod constituatur liberum aut necessarium. Ré expleo, & argumentum confirmo. Constituatur voluntas potens amare cū cogitatione inclinante ad amorem, & cum nulla alia retrahente, neque ad oppositum inclinante. Amor productus à tali voluntate sic constituta necessarius erit, ut permaneat idem amor, eademque cogitatio inclicans ad amorem, & superueniat alia cogitatio retrahens ab amore, & inclinans ad odium præcisè ex aduentu talis cogitationis retrahentis ab amore, amor qui antè erat necessarius incipiet esse liber: ergo amor intrinsecè inuariatus potest esse liber & necessarius. Antecedens probat: ex eo præcisè quod adueniat alia cogitatio retrahens ab amore voluntas quæ sine illa non poterat non elicere amorem, potest illum non elicere: imò & potest odio habere ex vi cogitationis aduenientis, inclinans ad odium: ergo posita hac cogitatione ita permanet amor ut possit non permanere: ergo amor qui antea erat necessarius, est liber: ergo non solum amor necessarius antecedenter potuit esse liber, & amor liber antecedenter potuit esse necessarius, sed idemmet amor potest de necessario in liberum transire.

11 Confirmatur. Omissio eadem potest esse libera, & necessaria, ut probauimus Controuerf. 10. Punct. 1. & fatetur Hurtadus ibidem citatus: sed in omissione libertas, seu necessitas non prouenit ex prædicato intrinseco ipsius omissionis, sed tantum ex diuersitate principij retrahentis ab actu positio, quod per se influit in omissionem eo modo, quo in illam potest esse influxus, & principij inuitantis ad actum positium, quod per se retrahit ab omissione, & non influit in ipsam, sed voluntatem liberam constituit ad omittendum, & non omittendum: ergo eodem modo de actu positio philosophari licebit: omissionem non constitui liberam aut necessariam per aliquod intrinsecum constabit ex dictis loco citato, & facile probari potest, quia omisio siue libera, siue necessaria est negatio eiusdem actus, cum enim quis liberè omittit amorem huius obiecti, habet negationem omnis actus amoris circa tale obiectum, & cum necessariò omittit, habet negationem eorumdem actuum, & in utroque casu habet omnem negationem possibilem amoris, cum nullum actum amoris habeat;

habeat: ergo eadem est omisso siue necessaria, siue libera: ergo libertas, & necessitas est extrinseca negationi: ergo & actui positivo.

§. II.

Præcipuum argumentum pro sententia Hurtadi expenditur & soluitur.

- 12 **P**æcipuum argumentum, quod pro sua sententia adducit Hurtadus, hoc est: Actus liber est obiectum specialis complacentiæ Dei, cuius non est actus necessarius: ergo ut liber habet aliquam intrinsecam perfectionem, quam non habet necessarius, sed hæc perfectio non est superaddita actioni libera: ergo est identificata cum ipsa. Antecedens probat: cum quis liberè Deum colit, cultus ille mouet Deum ut præmium conferat colenti, quam motionem non haberet si liber non esset, quia libertas essentialiter requiritur ad præmium: ergo habet in se specialem bonitatem, quam non haberet si esset necessarius: ergo specialis malitiam perfectionem, sed hæc non potest esse superaddita, ut ipse probat hac disp. 15. sect. 5. §. 4. & nos concedimus: ergo est illi intrinseca. Eodem modo arguitur de actu malo, qui malitiam habet aliquam ex vi cuius dignus est supplicio, quando est liber, quam non habet actus necessarius, delectatio enim de obiecto turpi in voluntate suborta absque vlla libertate, peccaminosa non est, neque digna supplicio, delectatio verò libera de eodem obiecto est peccaminosa, dignaque supplicio.
- 13 **H**oc argumentum sic infringere contendit Arriaga: potest actus præcisè per aliquid extrinsecum esse dignus præmio ad quod extrinseco secluso dignitatem non haberet: ergo dignitas ad præmium non arguit perfectionem intrinsecam actui. Antecedens probat. Maior dignitas est in amore ad præmium obtinendum libero libertate contrarietatis, quam tantum libero libertate contradictionis: sed libertas contrarietatis est extrinseca actui, quia extrinsecum est amori voluntatem esse liberam ad odium: ergo ex libertate purè extrinseca actui, illi accrescit noua dignitas ad præmium: ergo hæc non arguit perfectionem intrinsecam. Si respondeas in amore libero libertate contrarietatis esse duplex exercitium libertatis, vñ respectu amoris, aliud respectu negationis odij. Occurrit Arriaga: voluntas quando liberè amat libertate contrarietatis non semper exercet duplicem hanc libertatem per duplicem positum actum, non enim voluntas indifferens ad amandum, & odio habendum quotiescumque amat dicit, nolo odire: ergo tantum est vñ positum exercitium libertatis, videlicet amoris, est aliud negatiuum, videlicet omisso odij: sed hæc omisso odij in se non est digna præmio, quia puta omisso meritoria non est: ergo maior illa dignitas ad præmium tota est in actu positivo: ergo actus positius intrinsecè inuariatus potest habere maiorem, & minorem dignitatem ad præmium, ergo hæc dignitas non est intrinseca.
- 14 **N**on viget argumentum Arriagæ in primis, quia multi censent puram omissionem esse meritoriam, in quorum opinione nullam vim habet, deinde respondeo: actum liberum libertate contradictionis tantum non habere eandem numero libertatem contradictionis, quando est liber libertate contrarietatis, quia in opinione quæ libertatem in aliquo extrinseco constituit per eandemmet formam, per quam actus constituitur liber libertate contrarietatis constituitur liber libertate contradictionis, ut probavi supra, & in opinione quæ asserit libertatem esse intrinsecam, hæc intrinseca libertas in actu secundo diuersitatem sumit à libertate in actu primo: vnde cum actus liber contrarietatis libertate, & actus liber libertate contradictionis non sumant in actu secundo eandem libertatem, ideoque Doctores asserentes non potuisse eundem actum esse liberum & necessarium consequenter dicere debent non posse esse liberum hac vel illa libertate, & consequenter non posse eundem actum esse liberum tantum libertate contradictionis & libertate contrarietatis adhuc sub distinctione. Ex qua doctrina argumentum euidenter distinguitur tunc maior illa dignitas in amore libero libertate contrarietatis non oritur præcisè ex aliquo extrinseco, sed ex diuersitate intrinseca actus.
- 15 **E**adem ferè ratione contra Hurtadum alio modo argumentatur Arriaga. Si quis esset necessitatus ad actum

humilitatis vel temperantiæ, vtrumque æquè bonum, ut vt quilibet posset omittere, si alium præstaret, non tamen vtrumque, nullo præmio esset dignus, si alteri actum libertatem contradictionis, quia esset ad illum habere re, & non elicere, non tamen haberet libertatem motalem requisitam ad præmium, ut fateretur Hurtadus; si verò eundem actum humilitatis elicere absque vlla necessitate præstaret, talis actus humilitatis esset dignus præmio, & vtrumque casu esset omnino idem, ac liber libertate contradictionis: ergo eidemmet actui potest abesse, & adesse dignitas ad præmium: ergo hæc non est intrinseca. Viget Arriaga. Demus hominem necessitatum ad actum temperantiæ vel humilitatis modo dicto, & eundem alio casu necessitatum ad actum temperantiæ, vel positum interperantiæ: homo necessitatus ad temperantiæ vel humilitatem, non esset dignus præmio, si actum temperantiæ elicere, si tamen eidemmet homo necessitatus ad temperantiæ, vel interperantiæ positum actum elicere temperantiæ, esset dignus præmio, & in vtroque casu esset eidemmet actus temperantiæ liber libertate contradictionis: ergo eidemmet actui potest contingere dignitas, & negatio eiusdem.

Ad hæc argumenta ait Arriaga nullam posse dari solutionem; sed illam ego facillimè dabo. Respondeo, in omnibus casibus adductis actum humilitatis esse liberum diuersa libertate contradictionis, quia quando homo nullam habet necessitatem ad actum sub distinctione, est liber ad actum humilitatis libertate contradictionis absolutæ, & potest illum non elicere independentè à quocumque alio actu positivo; quando verò est necessitatus ad humilitatem, vel temperantiæ, non est liber ad actum humilitatis libertate contradictionis absolutæ, quia non potest actum humilitatis omittere independentè à quocumque alio actu positivo, sed sub conditione, vel quasi cum onere actus humilitatis præstandi, & quando necessitatus ad actum humilitatis dependentè à diuerso actu positivo & diuersa conditione, seu onere actus diuersi præstandi, habet diuersam libertatem contradictionis saltem in actu primo voluntas ad actum humilitatis, ex diuersitate autem libertatis in actu primo inferri diuersam libertatem in actu secundo, & diuersum actum ostendi supra. Ex quibus respondeo, hominem necessitatum ad actum humilitatis, vel temperantiæ vtrumque æquè bonum non esse dignum præmio, si actum eliciat temperantiæ; & hominem ad nullum actum necessitatum, vel necessitatum ad temperantiæ, vel positum interperantiæ, esse dignum præmio, si actum eliciat temperantiæ, nego tamen ex hoc inferri posse eidem actui temperantiæ dignitatem abesse, & adesse, quia in his casibus non esset idem numero actus, sed diuersus.

Respondent nonnulli bonitatem & malitiam actus sitam esse in entitate illius posita libertate tanquam connotato non pertinente ad rationem constitutum malitiae, aut bonitatis. Hæc connotatorum doctrina mihi semper magnoperè fuit exosa, quam impugnari multis in locis rationem iterum attingo, quâ illam sæpè reieci. Hoc connotatum vel se habet tanquam quid pertinet ab bonitatem actus, tanquam constitutum, saltem inadæquatam illius, vel non: si primum dixeris, non est purum connotatum; si secundum: ergo tota ratio formalis bonitatis est identificata cum actu: ergo posito actu ponitur illius bonitas secluso quolibet non constitutum illius. Respondent bunt esse bonitatem, quoad entitatem, non quoad denominationem. Contra quos iterum arguo. Bonitas quoad entitatem, & quoad denominationem non distinguuntur realiter: ergo non potest esse vna sine alia. Latius hanc solutionem impugnata inuenies Controv. II. Punct. 4. §. 2.

Respondeo, bonitatem & malitiam esse moralitates quasdam desumptas ex entitate actus, & ex libertate eiusdem (non definitio modò an desumatur ex præcepto formaliter, vel tantum tanquam ex obiecto, quia meum solum est modò explicare quomodo libertas conducatur ad malitiam) ex quibus formaliter constituitur malitia formaliter denominas malum eundem actum, à quo forma malitiae inadæquatè distinguitur, sicuti veritas formalis iudicij resultat ex actu intellectus, & ex obiecto, & denominatur verum ipsum actum. Ex quo inferitur positum actu sine libertate non esse rationem formalem malitiae, neque bonitatis.

bonitatis, quæ formaliter indivisibiliter consistit in aggregato actus & libertatis. Neque ex hoc inferitur Deum complacere in ipsa libertate tanquam in obiecto adhuc inadæquate digno præmio, libertas enim non dicitur neque inadæquate (rem explico indiscriminatim, modò in bonitate, modò in malicia, in quibus est eadem ratio bona, sed constitutum inadæquatum bonitatis, quod non est bonum, sed id quo actus bonus constituitur, sicuti cognitio est id, quo obiectum cognitum constituitur, non tamen est cognitio formaliter sine alio actu reflexo.

20 Obiicies ex eodem Hurtado. Libertas secundum se formaliter non est bona, neque est secundum se bonitas: ergo non potest denominare actum bonum, neque constituere bonitatem. Respondeo, libertatem non esse bonam, ex hoc tamen non inferri non posse denominari actum bonum, albedo enim non est alba & denominat subiectum album. Ad aliam partem antecedentis, videlicet libertatem non esse bonitatem. Respondeo libertatem secundum se non esse bonitatem, sed simul cum actu, sicuti forma hominis non est humanitas, tamen est apta ad constituendam humanitatem simul cum materia, nec novum est in Philosophia dari compositum constans partibus quarum nulla seorsim sumpta adhuc inadæquate habet denominationem totius, passim enim de hac re occurrunt exempla. Vnicum do præter iam insinuat. Suppositum constituitur ex materia & ex forma, unitis subsistentis propriis terminatis, tamen materia separata à forma non dicitur suppositum, neque inadæquatum. Neque forma rationalis in statu separationis propria subsistentia terminata suppositum inadæquatum, aut persona inadæquata dicitur. Sic malitia, seu bonitas constituitur ex libertate, & ex actu, non tamen libertas seorsim sumpta dicitur inadæquata bonitas, vel malitia licet sit illud, per quod inadæquate bonitas & malitia constituitur denominans actum inadæquate distinctum à forma, à qua denominatur tanquam inclusum ab includente, sicuti dixi de subiecto veritatis formalis respectu eiusdem veritatis, quæ verum formaliter constituitur.

§ III.

Alia argumenta solvuntur.

21 **A**rguit secundò Hurtados. Libertas in actu secundo est terminus, & effectus potentie operative physice ut physice operative: ergo est actus secundus physicus quia terminus, potentie physice operative physice est terminus, & exercitium physicum. Antecedens probat sectione. ubi ostendisse dici libertatem in actu primo esse potentiam physice operative. Respondeo distinguendo illud antecedens: libertas in actu secundo est effectus potentie physice operative ut physice operative, secundum totum id quod dicit libertas in actu secundo, nego; secundum rationem physicam actus, quæ libertas quæ in actu primo iam supponitur, reducitur ad actum secundum, concedo: ergo libertas in actu secundo est terminus physicus potentie, nego consequentiam. Ratio est, quia libertas in actu secundo dicitur duo, substantiam actus & libertatem in actu primo non est terminus potentie operative scilicet voluntatis, sed tantum dicitur voluntas causa libertatis in actu secundo, quia est causa actus physici, ex quo & ex libertate in actu primo, quam supponit constituitur in actu secundo.

22 Posses obiectere, libertas in actu secundo per nos dicitur duo, actum physicum voluntatis, & libertatem in actu primo: Hæc se tenet ut forma, ille ut subiectum, quod denominatur liberum: ergo libertas in actu secundo præcipue debet imputari agenti, quod producit libertatem in actu primo, quam voluntati producenti volitionem physicam, quia concretum præcipue procedit ab agente producenti formam illius, quam ab illo, quod producit materiam eiusdem. Consequens autem absurdum est, quia meritum, & demeritum consistit in libertate in actu secundo, ac proinde si hæc imputaretur agenti quod producit libertatem in actu primo non esset voluntas, quæ mereretur, aut demereretur. Respondeo, concretum imputari agenti quod coniungit materiam cum formâ dicimus hominem, hominem producere, quia producit unionem inter materiam & formam, etiam si illius formam non producat, neque materiâ: hæc ratione libertas in actu secundo imputatur voluntati quia, ipsa est quæ coniungit actum physicum ipsius videlicet volitionem cum libertate in actu primo, ex quibus

Franc. de Onjedo, Philosoph. Tom. 11.

resultat libertas in actu secundo, cum enim ante productionem volitionis supponatur libertas in actu primo, agens illud quod volitionem producit coniungit volitionem ipsam cum libertate in actu primo; illud enim agens, quod supposito vno extremo alterum producit, dicitur produxisse coexistentiam, & conjunctionem illorum, non verò illud quod prius vnum extremum produxerat. Nec refert voluntatem in actu primo esse formam constituentem volitionem in actu secundo liberam ne prius sit libertas in actu primo, quæ se habet tanquam forma, volitione ipsa se habente tanquam subiectum, quia forma extrinseca subiecto, quæ non educitur ex potentia illius non supponit existentiam subiecti, neque ex illo dependet. Hæc doctrina attentè obliuenda est: ex illa enim soluitur grauis difficultas in materia de auxiliis, quomodo videlicet gratia efficax, si constituitur per nostrum consensum conditionatum & entitatem physicam auxilij, provenientem à Deo, non nobis, sed Deo imputanda sit, tanquam principio, & causæ illius.

Ad confirmationem illius antecedentis respondeo, distinguendo antecedens. Potentia libera est physice operativa secundum totum id quod dicit libertas respectu simplicis effectus liberi, nego: secundum aliquid, quod includitur in ipsa potentia libera, quod per se ipsum formaliter non est liberum, concedo: ergo potentia libera habet effectum physicum, distinguo eodem modo: secundum totum id, quod dicit potentia libera, nego; secundum aliquid, quod includitur in ipsa potentia libera concedo: ergo libertas in actu secundo est effectus physicus, nego consequentiam. Ratio distinctionis supra data est antecedenti, & priori consequenti, hæc est: libertas in actu primo ad amorem dicit voluntatem cum cogitatione inclinante ad amorem, & cum cogitatione retrahente ab ipso amore: cogitatio retrahens ab amore non influit in ipsum, neque amor physice, neque secundum suam entitatem aliquo modo ab illa dependet, sed tantum illa cogitatio se habet respectu amoris tanquam forma extrinseca, quæ simul cum alia cogitatione ipsum amorem formaliter liberum constituit, ac proinde cogitatio retrahens ab amore, quæ voluntatem liberam constituit ad amandum, neque physice, neque moraliter influit in amorem influxu activo. Ex quo clarè inferitur totam illam rationem adæquatam, in qua indivisibiliter consistit libertas in actu primo, in nullum effectum influere secundum se totam sed secundum aliquid illius, & secundum diversas partes in diversos effectus, voluntas cum cogitatione inclinante ad amorem influit in amorem, ad quem non conducit altera cogitatio ab illa retrahens: voluntas cum hac cogitatione retrahente influere potest in alium actum positivum circa obiectum motivum, quod proponit, v.g. in odium, si retrahit ab amore inclinando ad odium eiusdem obiecti, vel in actum reflexum, quo amorem detestetur, si cogitatio retrahat ab amore, inclinando ad nolitionem illius, seu odium reflexum amoris, ad quem inclinat alia cogitatio. Quod si velis voluntatem constitui liberam libertate purâ contradictionis, quæ possit amare, & non amare præcisè, non tamen elicere volitionem aliam. Dicam cogitationem retrahentem ab amore in nullum effectum posse physice influere, & tantum deferuire ut formaliter amorem, illiusque omissionem liberam constituat. Ex quo inferitur volitionem secundum se non esse intrinsecè exercitium libertatis, sed dici exercitium libertatis, seu potentie liberæ, quando ad illam supponitur voluntas cum libertate in actu primo, quam libertatem volitio secundum suam entitatem, neque supponit, neque exigit.

24 Tertiò alij obiiciunt: Vitalitas est intrinseca actu: ergo libertas. Infit: Voluntas non potest producere volitionem non vitalem: ergo neque non liberam. Veraque consequentia eadem est. Respondeo, admissio antecedenti negando consequentiam. Ratio disparitatis desumenda est ex diversis rationibus, quibus actus constituitur vitalis & liber, vitalitas enim consistit in immanentia actionis, quæ non potest actioni abesse, libertas autem actionis dicit duplicem cogitationem ex parte actus primi, quarum una non influit in ipsam actionem, & illa ablata æquè bene erit actio, imò erit necessariò existens volitio, cuius existentia ex vi huius cogitationis contingens redditur.

25 Obiicies quartò: Libertas est perfectio actus: ergo est illi intrinseca. Nego consequentiam, satis enim explicitum est quomodo libertas sit perfectio extrinseca actus.

Obic.

25 Obiic. quinto: Volitio libera quæ dependet à duplici hac cogitatione dependet ab utraque per se & immediate: ergo non potest non dependere ab utraque: ergo non potest non esse libera. Respondeo antecedens esse falsum, sæpe enim dixi volitionem non dependere à cogitatione retrahente ab illa, & modò assero neque per se dependere ab hac cogitatione inuitante, esset enim eademmet volitio variata cogitatione, ex vi cuius elicitur, dummodo cognitio variata repræsentet idem obiectum, & dixi posse de potentia Dei absoluta dari hanc numero volitionem absque illa cogitatione, sed adhuc admissio antecedenti, non tenet consequentia, quia positus his duabus cogitationibus potest hic actus non esse liber ex diuerso modo, quo Deus in hunc numero actum influeret per decretum antecedenter efficax independentem à determinatione, voluntatis ratione cuius etiam modò liber sit tunc esset necessarius.

26 Sextò obiicies: Actus liber habet perfectiorem rationem voluntarij: sed ratio voluntarij est intrinseca actui: ergo habet perfectiorem rationem intrinsecam actus liber quam habet necessarius. Resp. rationem voluntarij in hoc statu duo dicere, exigentiam dependendi actus à cognitione, & dependentiam actualem à tali cognitione: exigentia dependendi est intrinseca actui voluntatis, dependentia actualis ab hac vel illa cogitatione est extrinseca, & secundum hanc rationem crescit perfectio voluntarij in actu libero, qui ratione libertatis habet maiorem perfectionem in ratione voluntarij. Ad argumentum in forma, Resp. Actus liber habet rationem perfectiorem voluntarij secundum id, quod actus voluntatis dicit intrinsecè in ipso actu, nego; secundum id quod pertinet ad rationem voluntarij tanquam quid extrinsecum actui, concedo: sed ratio voluntarij est intrinseca actui, distinguo minorem, secundum totam rationem quod dicit hoc perfectius voluntarium, nego: secundum aliquam rationem, concedo: ergo actus liber habet perfectionem aliquam intrinsecam, quam non habeat actus necessarius, nego consequentiam. Dixi rationem talis voluntarij dicere aliquid extrinsecum huic actui, de quo est disputatio, & abstraxi in argumenti solutione ab illa questione: An ratio voluntarij ut sic sit intrinseca actui, si tamen desideras huius questionis solutionem Resp. dependere ex alia questione videlicet in quo formaliter consistat ratio voluntarij ut sic. Si hæc ponatur in exigentia dependendi à cognitione, certum est esse adequatè intrinsecam actui voluntatis, qui per suam entitatem petit procedere à cognitione. Si ponatur in dependentia actuali volitionis à cognitione, ad huc non potest dici rationem voluntarij esse intrinsecam actui, hoc est illi conuenire per suam entitatem, quod sic probo. Omnis volitio sumpta in particulari potest dependere ab hac vel ab illa cognitione: ergo nulla singulariter sumpta dependet per suam entitatem ab hac cognitione, quia si ita dependeret non posset non dependere, quod enim alicui entitati per se conuenit, nunquam abesse potest: ergo neque volitio in communi per se dependet à cognitione in communi, quia dependentia in abstracto sumenda est eodem modo, quo est in indiuiduis præcisè hac vel illà differentia, & si volitio in communi haberet hoc, quod est per suam entitatem dependere à cognitione, hoc prædicatum esset in qualibet volitione in particulari, & non posset aliqua singularis volitio hanc dependentiam non habere. In alio sensu posset hæc dependentia in communi dici intrinseca, non quia conueniret volitioni per suam entitatem, sed quia adhuc de potentia absoluta non posset ab illa separari, sed adhuc hoc modo affirmo dependentiam actualem volitionis à cognitione, neque rationem voluntarij in hac dependentia constitutam non esse intrinsecam actui voluntatis, quia de potentia Dei absoluta potest volitio fieri sine cognitione, in quo casu ab illa non dependebit, neque erit actu voluntaria, si ratio voluntarij actualis constituatur per dependentiam actualem volitionis à cognitione.

27 Obiicies septimò. Potentia libera differt essentialiter à necessaria: ergo actus liber differt essentialiter à necessario. Resp. comparisonem fieri posse inter potentiam naturæ suæ necessario operantem, & libertatis incapacem, sicuti intellectus, aut potentia visiva & potentiam ex natura sua liberam, vel inter potentiam necessariam ex defectu alius prærequisiti ad libertatem, quod potest habere, sicuti inter voluntatem præuentam cogitatione obiecti

tantum sub ratione boni, quæ necessario illud amat, & voluntatem præuentam cogitatione bonitatis, & malitæ in obiecto in actu primo potente amare, & non amare. Si prior acceptio essentialiter differentem comparatio fiat inter potentias secundo modo acceptas, non different essentialiter, sed tantum accidentaliter per cognitionem, vel aliud principium cum quo de facto coniungitur hæc potentia, & non alia, quæ cum illo coniungi potest. Eodem modo philosophandum est in actu intellectus, qui formaliter non potest in se esse liber, & essentialiter differt ab actu voluntatis, siue libero, siue necessario, qui libertatem potest habere. Actus verò voluntatis, qui necessario sunt productus, & liberè potuit produci, non differt essentialiter ab alio actu voluntatis circa idem obiectum liberè elicitum, quia uterque potuit esse necessarius, & uterque liber, & libertas actualis, quæ est in hoc, & non in illo tantum dicit indifferentiam ex parte principij extrinsecam actui.

CONTROVERSIA XIII.

De speciebus impressis potentiarum materialium, & spiritualium.

PECIES sunt qualitates quædam, quæ potentias complent in ordine ad actus intentionales scilicet materiales, quæ sunt spirituales; ideo placuit de illis disputare, postquam iam explicaueram naturas omnium potentiarum. De illis variæ quæstiones exagitantur: sunt autem in quibus potentiis quæ sit illarum causa? quomodo ad actus concurrant? Quas quæstiones latè chartæ scripsere auctores antiqui, atque moderni. Conimbricenses legito lib. 2. cap. 6. & lib. 3. cap. 5. apud quos ad satisfactionem pro quacunque sententia peruectus inuenies auctores: quidam enim species omnibus potentiis denegabant; alij eas potentiis materialibus concedebant, & spiritualibus negabant; alij omnibus potentiis iuxta diuersas illarum naturas has species largè impertiuntur: quos hic referri plus molestia, quam utilitatis asseret lectori, qui apud plurimos omnium opiniones relatas inueniet; adducam tamen nonnullos inter meas conclusiones explicandas. Quæ de hac re cõmonis sententia docuit stricto calamo scribam, quæ autem minus communia sint laxiori tractabo, in omnibus pertingam omnia, quæ ad plenam, atque perfectam rei intelligentiam mihi necessaria visa fuerint.

PUNCTVM PRIMVM.

An dentur species sensuum externorum.

§. I.

De speciebus visus.

SIT CONCLUSIO. Potentia visiva indiget speciebus, sed ad proprios actus exercendos. Hæc docent omnes, qui species in aliqua potentia admittunt, in nulla enim argumenta adeò efficacia pro speciebus defendendis reperiuntur. Sit primum huius conclusionis argumentum ratio desumpta ex manifesta experientia: Color, & lux sub distantia non modica videntur: ergo color, & lux concurrunt ad visionem aliis in quacunque distantia: imò etiam si non extisterent, posset videri, sed non concurrunt immediate & per se: ergo medio aliquo effectui ab illis producto. Minorem probo: Color, & lux distant à potentia: ergo non possunt per se, & immediate concurrere.

Dices lucem, & colorem distantem saltem approximari potentie media luce existente in medio. Contrà: Do, obiectum posse media luce approximari, sæpe inter obiectum visum, & potentiam visivam nulla intercedit lux, quæ videri possit, ut cum quis existens in specu perobscuro videt obiectum